


[illegible]


[illegible] Paris [illegible]

[illegible]

[illegible] 1877

ARCHILOCHO PARIO

QUID IN GRAECIS LITTERIS SIT TRIBUENDUM.



DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD IMPETRANDOS

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

SCRIPSIT

PAULUS DEUTICKE

SAXO-BORUSSUS.



HALIS SAXONUM

ANNO MDCCCLXXVII.

Typis expressit Gustavus Lange, Berolini.

Ἦ ῥά νιν αἱ Μοῖσαι καὶ ὁ Δάλιος ἠγάπευν Ἀπόλλων,
ὡς ἐμμελής τ' ἐγέντο κὠπιδέξιος
ἔπεά τε ποιεῖν πρὸς λύραν τ' ἀείδειν.

Theocr. epigr. XIX, 4—6.

Cum multorum quae Graecia tulit magnorum ingeniorum monumenta perdita sunt, tum Archilochi Parii carmina perierunt nec quidquam ex iis relictum est nisi fragmenta haud ita pauca illa quidem numero, sed ambitu pleraque minima. Id eo magis dolendum est, quod in antiquis litteris ille praeter ceteros poeta collaudatur et cum principibus cuiusque generis auctoribus Homero Pindaro Sophocle plane comparatur. Vide Cic. or. I; Longin. de subl. 33, 5; alios. Quodsi universas Graecorum litteras perspicere et existimare nostra interest, quaecunque ab Archilocho confecta vel de eo tradita in libris veterum leguntur, accurate apparet congerenda et inter se coniungenda esse. Hoc ut fieret postquam saepius viri docti optaverunt velut Ruhnkenius ad Vell. Pat. I 5 p. 25, Ignatius Liebelius professor Vindobonensis Archilochi reliquias collegit praemissaque de vita et scriptis eius commentatione cum latina interpretatione et enarratione satis copiosa anno 1812 atque iterum 1819 edidit. Quem quidem librum multis nominibus vituperavit Welckerus in censura 1816 scripta posteaque in „script. minor.“ I p. 72—82 edita, contra pluribus laudavit Fr. Thierschius in annal. Vindob. 1821, III p. 36 — 54. Et sine dubio Liebelius editor admodum litteratus et elegans de graecis studiis bene meruit. Sed quae tum praestitit, ea nostrorum iam temporum rationibus non sufficiunt. Unde factum est, ut multi illius opera nixi in eadem re versarentur et huius aetatis inventionibus adiuti longius proficerent.

Ac reliquias quidem viri docti, imprimis Schneidewinus in „delectu“ et Bergkius in „poetis lyricis graecis“, non nullas adiecerunt multas correxerunt omnes in meliorem quendam ordinem redegerunt, ita ut in Bergkii editione tertia per singula poesis ge-

nera discriptae et ad argumentum quoad fieri potuit composita(exhibeantur ad legendum et complectendum satis faciles. Nequ(minus diligenter ea, quae de poesi Archilochi memoriae tradita sunt ex veterum libris sunt recognita et examinata. Ex his primo loc(nominari oportet, quae praebet capite 28 Plutarchi qui fertur d(musica libellus, quem ex Mor. p. 1140 et sequ. separatim ediderun cum notis 1856 Volkmannius et cum interpretatione 1865 West phalius. Huc pauca addenda sunt ex antiquae musicae auctoribus quorum septem principes M. Meibomius edidit Amst. 1652, quo libr(etiamnunc utendum est: hoc enim in genere quamquam mult addita sunt et novata — nomino e. gr. Aristoxeni elementa harm. et rhythm. quae supersunt a P. Marquardio Lips. 1868 edita et enarrata—, tamen tota Meibomii editio nondum adhuc est repetita. Praetere multa inveniuntur apud veteres rei metricae scriptores, quorum libro Gaisfordius in duo corpora habilia ita congessit, ut altero Oxon 1837 edito comprehenderet latinos, altero Oxon. 1855 iterum edit(plerosque graecos. Post eum Hephaestionis enchiridion cum scho liis et Trichae epitomis itemque Procli chrestomathiam correxit e edidit Lips. 1866 Rud. Westphalius in scriptorum metricorum grae corum volumine primo et adhuc uno. Similiter latinos scriptore artis metricae denuo recensuit H. Keilius in gramm. lat. vol. sext(Lips. 1874 edito. Haec potissimum technographorum testimonia re legentes Archilochi artem „musicam“ Liebelio acutius et planius per spexerunt et explicaverunt

Frid. Ritschelius in Mus. Rhen. I p. 285 = op. phil. I p. 278

Th. Bergkius in ind. schol. in un. Hal. per sem. hib. 1859—60 hab

maximeque, ut plures hic non enumerem,

Westphalius Rossbachiusque in libris de „musicis Graecorum arti bus“ conscriptis. De vita autem Archilochi et de universa eius poes testimonia auctorum veterum sequentes disputaverunt, qui singulas d(eo commentationes scripserunt:

Fr. Jacobsius in encycl. ab Ersch. et Grub. ed. 1820 V p. 141 e

W. Teuffelius in rerum encycl. a Paulyo ed. 1846 IV p. 8;

et qui historiam poesis vel litterarum Graecorum complexi sunt:

H. Ulricius in hist. poes. graec. 1835 II p. 268—282,

H. G. Bodius in hist. art. poet. gr. 1838 II, 1 p. 287—318,

Th. Bergkius in h. l. gr. in Ersch. et Grub. enc. LXXXI p. 319

Od. Müllerus in hist. litt. gr. 1841 I p. 232 sequ., denique

G. Bernhardyus in h. l. gr. quart. ed. I p. 369 et IIa p. 494.

Sed quamquam satis multi de Archilocho disseruerunt, tamen nulladum post Liebelium perfecta est universae eius artis existimatio. Nam aut alii alia tractaverunt aut eadem aliter interpretati sunt neque omnia aequaliter exposuerunt vel inter se coniunxerunt. Quae cum ita essent, equidem excussis veterum libris comparatisque recentiorum sententiis Archilochi in graecas litteras merita complexus ita adumbrare studui, ut omnes tamquam lineae ad centrum quod vocant ocularium responderent. Sola enim hac ratione id effici posse putavi, ut una existeret et ad verum expressa effigies, qua nec plus quam par est nec minus poetae tribueretur. Ipsam eius vitam non fuit cur proprie pluribus persequerer. Nam incerta et commenticia ex veterum narratiunculis repetere nihil iuvat; quae autem comperta habemus ex ipsius poetae carminibus, qui solus fons est fide dignus, haec in conspectu argumentorum obiter memoranda mihi fuerunt. Similiter alia pauca, quae ad vitam Liebelianam de meo addere habui velut de Archilochi studiis priscorum poetarum, originationibus, hymnis, fabulis aliisque rebus novis, suo quam brevissime loco disputationi intexui aut notis additis subiunxi. Ceterum non tam nova promere meum erat quam ea, quae adhuc prolata sunt, perpendere et conectere et illustrare. Haec praefatus ad ipsam iam adumbrationem meam accedo.

Initia graecarum litterarum si repetimus, quoniam de Orpheo Musaeo Pampho aliisque, qui sive in Pieria sive in Boeotia sacram quandam coluisse dicuntur artem, vix indiciis paucis ac vestigiis docemur*), homericam primo poesin animadvertimus laetissime vigentem et diutissime florentem. Finitis enim iis periculis et laboribus, quibus Graeci plerique omnes ex patria depulsi et diu agitati et novas sedes occupare coacti erant, hominum animi in illis acquiescebant et gloriabantur carminibus, in quibus specimen inerat rerum a principibus cuiusque gentis patriorum deorum auxilio bene gestarum. Carmina vel ab ipsis poetis fidium cantu exornata vel a rhapsodis post assa voce pronunciata multorum deinceps generum homines accipere solebant, ita ut laudabiles res maiorum penitus cognoscerent et quo saepius audiebant, eo vehementius adamarent. Sic

*) Nuper Al. Riesius in nov. annal. phil. et paed. 1877, 4 p. 225—240 de Orpheo mythicisque Thracibus disputans poetas Thraces fuisse prorsus negavit.

poetarum ars certis finibus circumscripta erat, quibus res antiquitus traditae populique iudicio probatae servabantur, ipsorum autem personae quasi de medio tollebantur. Quid quod aetatem et patriam poematum vix indiciis singulis ducti temere et fortuito insertis possumus suspicari?

Verum illae condiciones, quibus epica primum carmina orta et exculta sunt, non sempiternae manserunt. Immo procedente tempore et publica et privata Graecorum vita immutata est et novata. Jam apud Homerum si Thersitae consideramus consilia et facta, auctoritatem regum divinitus institutorum sentimus oppugnari et labefactari. Et proximis saeculis ubique fere rerum potiti sunt nobilium gentes atque etiam vulgus ex humili et modesto nonnunquam vindex exstitit suarum rationum et voluntatum. Nec mirum id quidem. Domi enim in singulis Graecorum civitatibus laetissimo otio adiuta in dies crevit hominum industria et sollertia. Foris autem commercio et usu inter se coniuncta erant graeci nominis littora et insulae, coloniae ad orientem et ad occidentem versus frequenter deductae et patria diuturna tamquam iuventute et vi genitali praedita, ita ut ingens copia non modo opum et divitiarum, verum etiam rationum et observationum undique conflueret, qua homines graeci iubebantur omnia nova spectare et audere et persequi. Ita est factum, ut viri singuli, qui nihil adhuc fuerant nisi ignota particula rudis indigestaeque molis, sui iamiam sibi sumerent conscientiam fiduciam gubernationem.

Quae cum mutata essent et mutarentur in rebus publicis et privatis, fieri non potuit quin litterae quoque progressionibus suis uterentur. Poesis adhuc culta, quippe quae res tantum spectaret antiquitus traditas et extrinsecus petitas easque hexametro heroo includeret sollemniter incedente — talis poesis cum temporibus non serviret, derelinqui coepta est eiusque loco ea effloruit, cui quidquid impraesentiarum singuli homines videbant cogitabant sentiebant, in usum suppeditaretur et converteretur. Atque hoc ut in consuetudinem veniret, praeter ceteros intendit et effecit Archilochus, qui Pari in insula aegaei maris natus et circa 20. olympiadem florens (recte hoc statuit Clem. Alex. Strom. I p. 397) et loco et tempore mediis in illis mutationibus collocatus fuit.

Certe iam ante eum fuerunt, qui ad inclinationem temporum studerent se accommodare. Dico non tam Hesiodum, cuius „Opera et Dies“ videlicet continent patris familias de cotidianae vitae curis

atque laboribus praecepta, quam primos elegiae auctores, qui epicae poesis et res et metrum paululum mutantes genus carminum affectabant ad temporum rationes adaptatum. Quam viam quis primus muniverit et instituerit, et adhuc sub iudice lis est ut aetate Horatii (a. p. 77) nec unquam videtur posse discerni. Non fuit in ea primus A., quamquam huic ὑπ' ἐνίων ἀποδέδοται τὸ ἐλεγεῖον (v. Plut. l. l.) et plurium eius rei auctorum nomina et loci etiam congeri possunt (v. Liebel. p. 28 et Volkmann. p. 118). Elegos enim, sive nomen traxerunt a vocibus ἒ λέγειν, quod plurimi tradunt veterum, sive ab harundine Armeniorum lingua „elêgn" vocata, quod statuunt recentiores quidam, sive a nescio qua re alia, initio constat usui fuisse poetis defunctos lamentantibus. Confer fragm. Bobiense de vers. p. 624 K. et, qui locus ad verbum fere congruit, ita ut eundem conicias fontem, Procl. chrest. p. 242 W., ubi sequuntur verba: Οἱ μέντοι γε μεταγενέστεροι τῇ ἐλεγείᾳ πρὸς διαφόρους ὑποθέσεις ἀπεχρήσαντο. Quod quoniam Callini elegiae non iam versantur in lamentis, sed in aliis argumentis bellicam civibus virtutem commendantibus, vel hunc sequitur posterioribus quos vocat Proclus elegiae auctoribus esse adnumerandum, ita ut minus recte veterum nonnulli (cfr. Ritschelii opusc. I p. 265) Callino hoc inventum tribuisse videantur. Et ante Callinum iam Clonas auloedus, cuius de aetate et arte breviter infra dicetur, nominatur ἐλεγείων ποιητής (Plut. de mus. 3 et 4) velut omnino ἐν ἀρχῇ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα οἱ αὐλῳδοὶ ᾖδον (Plut. 8). Modos autem carminum etiam hi antiquitus ex Olympi tibicinio ut probabile est traditos acceperunt. Nempe multo minus Archilocho inventio elegorum vindicanda est. Sed is fuit A., qui in hac via postquam instituit certo audacique pede progressus ipsam suae aetatis et personae vitam in litteras inferret et, ut erat sollers atque ingeniosus, aptissimo sermonis metri recitationis genere prosequeretur.

Ac primum quidem **ARGVMENTA** contemplemur poesis archilocheae, quantum fragmentorum exiguitate licet. Quo in conspectu fragmenta satis multa, quod certi nihil praebent, omittenda fuerunt. Item ea tangere nolui, quae Bergkius in adespotis p. l. gr. III p. 1323, 1358, alias dubitanter Archilocho tribuit. Ex ceteris singula suspicor respicere ad res ex Homeri carminibus notas velut

fr. 30: ὡς ἂν καὶ γέρων ἠράσσατο ad Γ 154 et sequ. v. et

fr. 73: Ἤμβλακον καὶ πού τιν' ἄλλον ἥδ' ἄτη κιχήσατο ad T 94.

Et sine dubio poeta **sententias homericas** in suum convertit usum et sermonem, de quibus multus est Clem. Alexandr. Strom. VI 738. His si μεταφράζων, μεταποιῶν, μεταφέρων abusus est A., ut ait Clemens: τὸ κλεπτικὸν διελέγξας αὐτῶν εἶδος, id videtur egisse, ut suas causas aut locupletibus testimoniis confirmaret et illustraret aut maiestate quadam ab ipsis rebus aliena per iocum exornaret et allusione condiret. Sed singula discernere iam non licet. Itaque satis habeo eiusmodi locos enumerasse hosce:

fr. 33: Ἀλλ' ἄλλος ἄλλῳ καρδίην ἰαίνεται = ξ 228,
fr. 64: Οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἄνδρασιν ∾ χ 412,
fr. 56: Τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα· πολλάκις μὲν..
..ὀρθοῦσιν.., πολλάκις δ' ἀνατρέπουσι.. = π 211—2.

Adde fr. 55: ... νίκης δ'ἐν θεοῖσι πείρατα = H 102, qui locus Archilochi animo videtur obversatus esse. Nam quem Clem. p. 739 laudat Homeri versum ab Archilocho μεταπεφρασμένον:

Νίκης ἀνθρώποισι θεῶν ἐκ πείρατα κεῖται,

is nec in nostris Homeri exemplis invenitur et videtur esse corruptus. Vid. Dindorf. ed. Clem. III p. 126, qui minus recte, ut puto, de ea quoque versus clausula cogitavit, quae P 514 et saepius legitur: θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Clementis autem errorem nemo opinor miratur, qui vel Aristotelem neglegentius Homeri versus de memoria recitavisse novit, qua de re vid. La Roche, de Hom. text. crit. in antiquitate factitata (1866) p. 26. Accedunt ea fragmenta, quorum verba exscribere alio loco oportet, hic me taedet: 62 ∾ Σ 309, 70 ∾ σ 135, 73 ∾ J 116. Adiungere denique libet testimonia eiusdem usus fr. 85 ∾ Hesiod. theog. 120 et v. sequ. et fr. 115, quod versum imitatur ex Hesiodi certamine fortasse petitum.

Ab his fragmentis, quae res quodammodo resipiunt ab epicis ante poetis tractatas, proxime absunt nonnulla de hymnis fabulisque fragmenta et testimonia. Atque **hymnos** quidem, quo nomine generis communi Procl. chrest. p. 244 comprehendi docet omnes species carminum in deos confectorum, agnoscimus in fr. 75, quo supplex poeta invocat Volcanum, et in fr. 70 et 77, quibus Lesbium paeanem vel pulchrum Bacchi dithyrambum incipit. Praeterea confecit, quo in insula Paro recitando victor exstitisse dicitur a schol. Aristoph. Av. 1764, τὸν Δήμητρος ὕμνον, ex quo sunt fr. 120 et 121, qui inscribuntur Ἰόβακχοι. De hoc Procl. chrest. p. 246: Ἥιδετο δὲ ὁ ἰόβακχος, inquit, ἐν ἑορταῖς καὶ θυσίαις Διονύσου, βεβαπτισμένος πολλῷ φρυάγματι. Multo autem clarior factus est ille hymnus εἰς

τὸν Ἡρακλέα μετὰ τὸν ἆθλον Αὐγέου (in sollemnibus Olympiis cantatus? ut addit Tzetzes), cuius initium = fr. 119 exstat cum aliis locis tum in scholiis ad Pind. Nem. III, 1 et Olymp. IX, 1. Ex eodem in Herculem hymno etiam relictum esse putaverim fr. 48; nam „filius Martis cruenti“ videtur esse ille Cycnus, quem ab Hercule eiusque auriga Jolao necatum docet Hesiodi Scutum v. 57 s. et 327 s. Et sane bene quadrat ad hunc hymnum et metrum et epitheton quod vocant ornans, de quibus rebus infra dicam. Sed — ut testantur auctores apud Bergkium loco 147 laudati — alias etiam de Herculis vita et amoribus narratiunculas poeta attigit, quas non esse ex hymno satis apparet. Quo haec referenda putemus?

Profecto strictim multa narrata esse equidem persuasum habeo, velut plurima eorum quae ex fabulis produntur

fr. 53 de saxo Tantali capiti imminente (aliter Homerus λ 582—592),
fr. 190 de saltatione Pyrrhi occiso Eurypylo (∞ Hom. λ 520) gaudentis,
fr. 150 de Lynceo Danai interfectore interfectique filiae marito facto,
fr. 114 de Coerano per Neptuni delphinum ex periculo mortis servato,
vel ex historia rerum
fr. 20 de malis Magnetum, quae plane explicari posse negat Ulricius II p. 263 not. 19,
fr. 133 de praestantia legum creticarum (v. Hom. B 648 et τ 178),
fr. 145 de cuppedia et intemperantia Aethiopis Corinthii, qui cum Archia ad condendas Syracusas in Siciliam vehens (ol. 11, 3?) sorte sua pro placenta mellita a convictore accepta cessisse fertur,
vel ex siderum rationibus fr. 74, 2 de solis defectione*),

---

*) Quae illo loco leguntur Archilochi verba:

— — — — ἐπειδὴ Ζεὺς πατὴρ Ὀλυμπίων
ἐκ μεσημβρίης ἔθηκε νύκτ' ἀποκρύψας φάος
ἡλίῳ λάμποντι· λυγρὸν δ' ἦλθ' ἐπ' ἀνθρώπους δέος,

ea non aoristo qui vocatur typico dicta, sed insigni quadam solis defectione mota esse mihi videntur. Cfr. Plut. IV, 2 ed. Wytt.: de fac., qu. in orbe lunae app. p. 771. Quam ob rem ecqua temporibus Archilochi fuerit insignis totius forte solis defectio, undecunque sciscitari studui. Sed neque Ideleri de chronologia liber neque Zechii quidquam mihi suppeditaverunt. Et astrologiae studiosi, quos interrogandos curavi, multae demum operae computationibus hoc inveniri posse asseveraverunt. At in historia astrologiae ab J. H. de Maedlero conscripta in vol. I p. 14 ex Sinensium observationibus relatas inveni in defectionibus a Confutio quondam memoriae proditis duas quae nominantur „totales“, quarum priorem a. d. XVI. Kal. Aug. a. a. Chr. n. 709 observatam in insulis quoque Asiae minoris visam fuisse quamquam non certum, tamen satis est credibile,

vel ex populorum terrarumve descriptionibus
fr. 78 (nota) de penuria et edacitate Myconiorum,
fragmentoque 21 de amoenitate regionis ad Siris ripas sitae, in quam Tarento ex urbe a. 708 condita coloniam (nomine Heracleam, aliquando Sirim) deductam tradit Strabo VI p. 264, quod idem Archilochum suis civibus suasisse Schneidewinus censet.

Haec igitur et similia ab Archilocho peculiaribus argumentis obiter possunt inserta esse. Itaque conicere possimus Deianiram quoque in transitu memorari, eo fortasse consilio, ut exemplum habeatur immanis feminarum nequitiae. Quam coniecturam movere possint verba Dionis Chrysost., qui in or. 60 Π 666: φασὶ γὰρ οἱ μὲν, inquit, τὸν Ἀρχίλοχον ληρεῖν ποιοῦντα τὴν Δηϊάνειραν ἐν τῷ βιάζεσθαι ὑπὸ τοῦ Κενταύρου . . ῥαψῳδοῦσαν . . . ὥστε πολλὴν σχολὴν εἶναι τῷ Νέσσῳ, ὅτι ἐβούλετο πρᾶξαι. Sed Deianiram satis multa apparet verba fecisse ἀναμιμνήσκουσαν τῆς τοῦ Ἀχελῴου μνηστείας καὶ τῶν τότε γενομένων. Adde quod Schneidewinus vir acutissimus probabiliter huc rettulit fr. 41, quippe cuius verbis sine ulla mercede Nessus Deianiram se traiecturum neget. Nec minus huc faciunt verba schol. ad Apoll. Rhod. I 1212, ubi A. necem Nesso in Eueno fluvio ab Hercule paratam narravisse dicitur. Haec plura mihi videntur esse quam quae in praetereundo aliis argumentis possint intexta fuisse. Accedit quod a schol. ad Hom. Φ 239 res Archilocho tribuuntur ab illis, quas proposui, quamquam diversae tamen proxime affines. Ibi enim sunt verba: Ἀ. μὲν οὐκ ἐτόλμησεν Ἀχελῷον ὡς ποταμὸν Ἡρακλεῖ συμβαλεῖν, ἀλλ' ὡς ταῦρον. Et alia in ipsis etiam fragmentis indicia insunt. Nam etsi fr. 144 proverbium οὐδὲ Ἡρακλῆς πρὸς δύο quo referendum sit ignoramus, tamen nescio an fr. 139 de Acheloo dictum sit, quem bovis forma vel capite indutum aqua stillare dicit Deianira in Soph. Trachin. v. 13. Et ad eandem Herculis et Acheloi pugnam pertinere censeo glossema loco 182 exscriptum: Μουνόκερα · τὸ μηκέτι ἔχον τὴν ἀλκήν. Nam Hercules Acheloo in rixa altero cornu fracto vires debilitavisse fertur a multis veteribus scriptoribus, quos laudavit Prellerus in myth. Gr.[3] II p. 244. Quae cum ita sint, facere non possum quin pluribus hanc certe fabulam ab Archilocho tractatam esse statuam. De aliis eiusmodi fabulis certum quidquam aut verisimile non potest erui. Nam Gygae fabulam, si quam narravit A., ex historia sumptam apparet. Qua de re Iuba metricus apud Rufinum

p. 563 K. provocans ad ea verba, quae de Archilocho leguntur in libris Herod. I, 12, poetae nomini addit verba illic prorsus inutilia „qui Gygae fabulam optime complexus est.“ Keilius coniecit mutandum „complexus esset“, quod facillime ita interpretaremur, ut Archilochi de Gyga fabulam testari diceremus non Iubam, sed Herodotum. At herodotei libri interpolator — locum enim pro genuino habere vetat et turbata rerum cohaerentia et verba ἐν ἰάμβῳ τριμέτρῳ mirum in modum coniuncta — nihil aliud nisi, ut ipse addit Iuba, meminit fr. 25 versus primi:

οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

Herodotum igitur Iuba longioris narratiunculae testem proferre non potuit. Itaque nil relinquitur, quam ut illud „complexus esset“ ratione habita verborum κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γενόμενος dictum accipiamus pro „utpote aequalis complecti potuisset.“ Sed hoc minus etiam apte additur in arte metrica atque a solita interpretandi ratione tantum abest, ut librorum scripturam servare equidem malim. Num incredibile est Iubam, qui fr. 25 v. l. addere potuit, totum quoque carmen legisse*) eiusque argumentum novisse? Immo iure quodam pluribusne Gygae res poeta persecutus sit, puto quaeri posse. Bergkius adversari videtur primum fr. 25 versum a reliquis separandum negans, quamquam Plutarchus de tranqu. an. c. 10 versus praebet copula καὶ interposita. Et sine dubio verba, quae in fr. 25 leguntur, satis bene inter se cohaerent. Negat autem B. separandos versus vel ea de causa, quod auctor carm. Anacr. 7 quattuor continuos imitetur versus Archilochi. Quae imitatio quamquam alia Archilochi vel aliorum praeter Anacreontem lyricorum vestigia in illis cantilenis nondum inveniuntur (Bergk. ad An. 7), tamen certissima est. At fortasse verba τοῦ Σαρδίων ἄνακτος non de suo addidit auctor, sed ex ipso repetivit Archilochi carmine more suo sententiam in brevissimam contrahens. Itaque inter primos duos versus fr. 25 pauca de Gygae fortasse regno dicta excidisse possint, velut Schneidewinus fr. 26, quo nominatur Ἀσίης καρτερὸς μηλοτρόφου, huc pertinere censuit. Si autem hoc statuere non vis, in processu carminis de Gygae patria sermonem fuisse facile inde conicias, quod in Et. Gud. 537, 26 ex commentario in Archilochum

*) Westphalius in hist. mus. vet. et med. aevi Vrat. 1865 I p. 115 carmina servata dixit usque ad aetatem romanorum imperatorum. Hoc tempus parum est definitum; neque tamen certius quicquam statuendum equidem inveni.

scripto nonnulla proferuntur de nomine tyranni ducto ἀπὸ Γύγου, ὅς ἐστιν ἀπὸ Τύρρας πόλεως Λυδιακῆς. Nec denique Gygae matrimonium et mortem memorare ab animis Archilochi alienum fuisset. Haec fere eruere vel suspicari licet de argumentis aut memoria antiquae poesis aut historia rerum suppeditatis. Cetera A. ex ipsis tamquam venis et visceribus id temporis hominum solebat ita haurire, ut et suorum civium et suas ipsius res et voluntates acri iudicio lustraret et persequeretur et si opus erat perstringeret.

Civium suorum conqueritur condicionem tristissimam (fr. 50), quibuscum exeunte octavo a. Chr. n. saeculo (Clem. Alex. str. I p. 397) paupertate adductus (Ael. v. h. X 13) Paro ex misera insula (fr. 51) Thasum emigravit in urbem ter infelicem (fr. 129), et novam sedem velut asini dorsum rigentem, agresti silva cinctam omnique amoenitate orbam (fr. 21) exsecratur quasi quo omnium Graecorum miseria confluxerit (fr. 52). Eosdem consolatur adhortaturque, ut fortiter ferant calamitatem communem, ubi naufragio facto (fr. 10. 11. 23) multi et egregii perierunt viri (fr. 9). In his quod erat poetae ipsius sororis maritus (fr. 12), eius mortem iustaeque sepulturae defectum initio quidem (si Tzetzes recte hoc prodit, v. fr. 22) dolet vehementer, ita ut carminum eum taedeat; sed postea luctu supersedet atque etiam, quo facilius oblivionem illius capiat, conviviis et deliciis se dedit (fr. 13). Quaecunque coloni gesserunt bella — fr. 146 et, unde haustum est fr. 54, Heracl. Pont. all. hom. 5: contra Thraces difficiles, ex quibus proprie nominantur Saii fr. 6 et 49 init.; praeterea contra Abantes hastatos Euboeae dominos (fr. 4 ∞ Hom. B 536), ipsos quoque Thraces ? vid. Aristot. ap. Strab. X p. 445 et Bursian. geogr. Graec. I p. 158 — ea bella ut Enyalii satelles (fr. 1, 1) ipse capessit (fr. 3 et 6), ita Musarum doni compos (fr. 1, 2) suis prosequitur curis (fr. 54 et 60) et votis (fr. 7 et 61) civibusque nunc propriam commendat fortitudinem (fr. 55 et 62) nunc dei fiduciam (fr. 56 et 70) nunc hilaritatem et vitae fructum (fr. 3 et 5, cfr. 151). Nec solum in bello (fr. 8), quo in mortis periculum vocatus adeo scutum relinquere non dubitat (fr. 6)*) verum in omnibus vitae condicionibus prudentiae exsistit compos (fr. 36 et 73) atque etiam de tranquillitate et modestia animi prae-

---

*) Eodem respicit trim. iamb. apud Mar. Plot. p. 521 serv., cuius de fine parum constat. Keilius nuper edidit:

ἀσπὶς μὲν οὐκέτ' ἐστὶν οὐδ' ἴχνος βαθύ.

cipit optime (fr. 60 et 64). Similiter sapientiam ostendunt haud contemnendam fr. 74 et 25, quorum altero poeta rebus in arduis aequam iubet servari mentem, altero modestiam et continentiam describit Charonis fabri. Accedit quod utrumque fr. proverbii quasi vim redolens populari sermone ab imitatoribus expressum est, prius in Soph. Ant. v. 388, posterius in Anacreonteorum c. 7, de quo supra iam dixi. At Aristoteles in rhet. III, 17 affert haec fr. vituperationem inesse testans: ὡς 'Α. ψέγει scil. alios pro se loquentes faciens;

ποιεῖ γὰρ τὸν πατέρα λέγοντα περὶ τῆς θυγατέρος ἐν τῷ ἰάμβῳ
  Χρημάτων ἄελπτον οὐδέν ἐστιν οὐδ' ἀπώμοτον . . .
καὶ τὸν Χάρωνα τὸν τέκτονα ἐν ἰάμβῳ, οὗ ἡ ἀρχὴ
  Οὔ μοι τὰ Γύγεω etc.

Integra carmina si conservata essent, non modo cognosceremus, quid vellet ille pater de filia disserens (Schneidewinus Lycamben interpretatus est) vel cuius in immodestiam inveheretur poëta Charonis persona indutus, verum etiam maximo cum gaudio id perspiceremus, quam artificiose A. a populari quadam exorsus sapientia vituperationis subito emisisset aculeos. Nunc amplius his fragmentis abuti non licet. Transeamus igitur, quo hac ipsa disputatione clam traduci coepti sumus, ad illa carmina, in quibus singulorum mentio fit nominatim aequalium. Quo in numero praeter eos, qui nomine tantum appellantur velut fr. 8 Aesimides, fr. 60 Erxias, sim., nullos fere nominat A. nisi vituperans (fr. 112?). Sine ulla iniquitate memoratos possis statuere paucos homines, de quibus sunt epigrammata 17 et 18, quorum altero sepulcrali (ἐπιτυμβίῳ) mors memoratur Naxiorum Megatimi et Aristophontis, altero donario (ἀναθηματικῷ) flammeum ab Alcibie modo nupta Iunoni positum: certe quod A. a Naxio quodam interfectus esse fertur, de qua re vid. Liebel. comment. XVIII p. 42 et notas subiectas, inde Naxios iampridem inimicos fuisse vix colligi potest. Contra quos ὁ σκορπιώδης τὴν γλῶσσαν (ad fr. 172) perstrinxit, multi sane sunt numero: primo loco nominanda est, si recte fr. 19 Archilocho tribuitur, bona

Pasiphile, quae hospites accipere amat;

deinde Pericles potator immodestus et importunus, de quo est fr. 78 apud Ath. I, 7, F;

tum Glaucus homo bellus et coma nitidus fr. 57*);

*) Eundem spectari censeo glossis loc. 162 et 166 exscriptis, quarum

praeter hos: Ἐρασμονίδης = venustulus Charilaus, ganeo vorax, de quo v. fr. 79—83 (145?) quaeque habet Ath. X 415 D.

Adde Batusiaden vatem loquacem fr. 104, quocum cfr. Hesych. s. v. Σελληΐδεω et Aristid. II 380: τὸν δεῖνα τὸν μάντιν,

et Myclum tibicinem salacem fr. 184, nisi errat Tzetzes ad Lycophr. 771; fortasse etiam fr. 97 ad eundem pertinet.

Accedunt

cinaedi quidam τῶν ἄλλων πονηρῶν πολὺ πονηρότεροι, v. Euseb. pr. ev. V 228 et 229 in altera parte l. 49 ap. Bergk.;

homines pecuniam multa opera comparatam scortorum usu temere consumentes (fr. 142);

milites simulata nescio qua caede et victoria gloriantes (fr. 59);

denique princeps quidam (= Leophilus fr. 69?), quem fr. 133 A. ἐπισκώπτων dicit leges discere creticas.

Quorum hominum mores complexis et considerantibus A. facile videtur vituperationes effudisse bono consilio ductus velut Dioni Chrysost. (or. Tars. I 396) . . ὁρῶν τούτου μᾶλλον δεομένους τοὺς ἀνθρώπους. Sed alii scriptores testantur alia. Atque ipse poeta fr. 65 mala malis se compensare gloriatur, quocum congruit Proclus ad Hes. p. 40 βλασφημίας συγγράψαι κατὰ τῶν λυπησάντων illum narrans. Similiter Lucian. pseudolog. 1 (fr. 14[illegible]). Aelianus vero sive potius Critias ab Aeliano in v. h. X 13 (fr. 149) laudatus Archilocho crimini vertit, ὅτι ὁμοίως τοὺς φίλους καὶ τοὺς ἐχθροὺς κακῶς ἔλεγεν. Itaque Pericles fr. 78 vituperatus fortasse idem est qui fr. 9 et 16 invocatur amice. Atque etiam Glaucus fr. 57 reprehensus similiter forte idem est, quem fr. 58, 2 et 54 et 14 belli ducem poeta compellat, ita ut testimonium Aristidis, qui nobilibus et illustribus viris temperatum esse contendit, in dubitationem possit vocari. Fortasse quae inter se discrepant, ita conciliari possunt, ut initio A. vitia tantum aequalium castigavisse statuamus, postea vero ira utrimque (v. Pind. Pyth. II 100 cum schol. et Ovid. Ib. 523) in dies aucta et exacerbata plerisque omnibus et maledixisse et odio fuisse. Sed haec sunt incerta. Id constat vituperationem eius tam propriam fuisse, ut nomen Archilochi tamquam maledici in proverbium abiret, cuius rei testimonia a Liebelio congesta sunt in comment. § XVI, m.

---

posterior ante ipsum forte fr. 57 collocanda est, ita ut iungantur verba:

. . . διαβεβοστρυχωμένον
Τὸν κεροπλάστην ἄειδε Γλαῦκον . . .

Summa vero rabie Archilochum fuisse veteres tradiderunt in iis potissimum carminibus, quae sunt **de condicione Neobules** filiae Lycambae natu minoris. Ex fr. 28: παῖδα τὴν ὑπερτέρην dilucide apparet non tres fuisse Lycambae filias, quot statuit Iulianus in epigr. anth. graec. ed. Iacobs. II p. 153, sed duas tantum, quot esse vult Lentulus ib. IV p. 156. Liebelius § V p. 13 hoc de numero nihil certi habet. Ad illam fere omnia de ipsis poetae rebus, quae adhuc nondum attigi, fragmenta referre libet, quando quidem aut huc pertinent aut, etsi aliena sint, adiungi possunt. Nam nostrum non est veram scribere rerum historiam, sed omnes animi affectiones quas — sive suas sive alienas — primus ex antiquis poetis A. carminibus persecutus est, congerere et oculis subicere manifestas. Ac primo quidem A. admiratur et praedicat Neobules iuventutem (fr. 31), puellae (ἑταίρας) myrtea fronde*) rosaeque flore gaudentis atque capillis humeros et cervices obumbrantibus ornatae (fr. 29); similiter capillos et pectus unguentis adspersa, quae si videret vel senex exardesceret (fr. 30); denique quoniam locum Luc. am. 3 Bergkius ad fr. 29 recte censere videtur ex Neobules descriptione petitum, si non hilares ocellorum delicatorum coniectiones at leves voculae suavissimae sonos. Desiderio feminae tot tantisque bonis praeditae captus est fr. 85', dolore gravi per ossa perculsus fr. 84. Amoris cupidine sensuum et mentis fit expers fr. 103; manum non modo tangere cupit fr. 71, sed etiam — si fr. 72 huc est referendum res amatorias definite exprimens — toto amicae corpore potiri et frui.

Post Lycambes a daemone quodam adductus (fr. 95) sponsalia sale et mensa communicatis rite facta iubet irrita esse (fr. 96). Neque vero diu A., quod repulsam tulit, queritur velut fr. 99: „O Juppiter, nuptiis equidem non usus sum!“ Immo in patrem et filiam, fortasse etiam in aemulum sibi praelatum (fr. 33 et 34?97? Bergkius de rel. com. att. p. 12 collato loco Theocr. 14, 47, de Leophilo cogitat), vehementissimis invehitur invidiae odii irae vociferationibus. Fr. 92: „Non impune iste,“ inquit, „mihi id fecerit!“ Lycambes cicadam ala comprehenderat (fr. 143), quae quamvis viribus exiguis, tamen voce maxima praedita propalam hostem scit irri-

---

*) Liebelius in his versibus convicium inesse censet Neobules immodicis potationibus deditae (cfr. fr. 32); frondem enim myrteam putat esse αἴσακον in conviviis usurpatum. Mihi hoc statuere non opus videtur.

dere et perdere. Fr. 94: „Pater Lycamba," inquit, „mente prius insignis, nunc capte, quid dixisti? Quanto ludibrio es civibus"! Tu si avis tuis elatus es — nam sic fere τὸ περιᾳδόμενον σκῶμμα explendo cogitari posse docuit Matthiaeus in misc. phil. I p. 1 sequ. — haud aliter facis ac simia illa, quae cum vulpe colloquens suam nobilitatem iactat (fr. 89 ∞ fabulae aesopiae 43 in editione Halmii, ubi duplex exstat recensio). Cave ne similiter istius superbiae te pudeat ac simiam, quae stulta a vulpe in decipulam illicitur" (fr. 90, 170, 91, 187 cfr. cum fab. 44 ed. Halm.). An — consideratis fabulae Aes. verbis: ὦ πίθηκε, σὺ δὲ τοιαύτην ψυχὴν ἔχων τῶν ἀλόγων ζώων βασιλεύσεις; — hanc alteram de simia et vulpe fabulam non ad Lycamben, sed ad imprudentem illum, de quo supra dictum est, principem referamus? Buchholtzius in Mus. Rhen. vol. 28, 1873, p. 176—179 unum esse apologum statuit atque etiam tertium fr. 89 versum hanc in sententiam corrigi posse censet, ut legatur:

πίθηκος ᾔει θηρίων ἀρχὸς κριθείς (pro ἀποκρ.)

Equidem hoc accipere nolim, quoniam alia certe fabula (ap. Halm. numero 5.) Lycamben iterum peti docet Philostr. im. I, 3 p. 766. Haec est fabula de aquila et vulpe, quae societatem inierunt, ut vitam inter se sublevarent (fr. 86). Aquila nobilitate robusta (μελάμπυγος fr. 110) fidem violat; vid. fr. 38: „Liberis dapes apposuit luctuosas" = τὰ γεννήματα τῆς ἀλώπεκος ἀναρπάσας μετὰ τῶν ἑαυτοῦ νεοττῶν κατεθοινήσατο. Iniuriam hostis in ardua et praerupta sede securae (fr. 87) vulpecula viribus debilis (χερσαία οὖσα) quia non potest ulcisci, diris devovet; fr. 88 = τῷ ἐχθρῷ κατήρᾶτο. Et deus exauditis tamquam vulpeculae precibus in aquilam perfidam consulit gravissime; vid. fr. 126: „scintilla autem . . . ignis erat" = ἔμπυρον σπλάγχνον ἀπὸ τοῦ βωμοῦ ἀνήνεγκεν. Concremato igitur nido pulli decidunt humi et a vulpe devorantur. Praeter has duas vel tres fabulas dilucide expositas aliis etiam Archilochum usum esse Bergkius ad. fr. 86 testimonio affirmat Iuliani, qui or. VII, 227 A: πολὺς δὲ inquit ἐν τούτοις, scil. in fabulis ad alias res adaptatis, ὁ Παριός ἐστι ποιητής. Et supersunt etiam vestigia, quae ut omnes fabulas comprehendam hic adicere libet, etiamsi quid spectent incertum est. Insunt vestigia in fr. 39 de bove operario, quod ad Halm. fabul. 95 respondere potest, et in fr. 131 de animali quodam in iecore fel non habente (ad fab. 180 an 183 an aliam? cfr. fr. 188), fortasse etiam in fr. 132 de summo pedum honore (ad fab. 128?),

et in fr. 137 de molestia pediculorum (ad fab. 36?). Praeter haec fragmenta cfr. quae habet Aristides II, 398: Ἀρχιλόχου πίθηκοι, quas simias probabilissime Bergkius ad fr. 89 pyrrhiches saltatrices interpretatur in fab. 360 ed. Halm. memoratas. Plura etiam fabularum vestigia invenisse sibi videtur O. Kellerus, qui — in quaestionibus de hist. fab. graecae in 4. vol. suppl. ann. phil. class. p. 309—418 expressis et separatim editis a. 1862 — etiam fabulam statuit de erinaceo et vulpe (cfr. fr. 118 cum 65) et aliam quandam suspicatur esse de cornice (fr. 102). Sed nescio an iusto plus viderit ille: mihi enim haec fragmenta non ad fabulas spectare videntur, sed ad comparationes potius et translationes pertinere, de quibus infra dicetur.

Iam vero ad condicionem redeamus Neobules, cuius perfidia adeo perturbatur poeta, ut quam ante amaverat, eandem post oderit et vehementissimis obruat maledictis et conviciis. Dolendum est, quod veteres non tam ipsa Archilochi verba tradiderunt quam eius atrocitatem memoraverunt et iudicaverunt. Attamen singula eiusmodi fragmenta servata sunt. Allegoria illa quidem, qua mulier quaedam altera manu aquam altera ignem gestare dicitur (fr. 93), num ad Neobulen pertineat, pro certo dici non potest. Sed sine dubio illam spectant verba fr. 98 de manifesto malo domum ducendo, quoniam Aristoph. in Lysistr. 162 haec imitans de nuptiis dicit malarum feminarum. Non solum speciem et iuventutem ab ea abiudicat (v. fr. 100), sed etiam existimationem eius laedit et perdit. Nam si Dioscurides (anth. gr. Iac. I p. 250) Lycambidas — et totam Lycambae familiam ab Archilocho maledictis laceratam esse praeter Mar. Vict. p. 137, Ter. Maur. v. 2456, alios tradit Valer. Max. V 3, ita ut maiori etiam Neobules sorori obtrectatum esse appareat, cfr. Plut. de curios. VIII 64 et Eus. pr. ev. 229 — suam virtutem defendentes facit his verbis:

Οὔτε τι παρθενίην ᾐσχύναμεν, οὔτε τοκῆας
Οὔτε Πάρον νήσων αἰπυτάτην ἱερῶν,

talia crimina ab Archilocho iis obiecta oportet statuere. Itaque huc referenda videntur nomina impudicarum feminarum num. 180: λέγαι δὲ γυναῖκες et num. 185: μυσάχνη ἐργάτις δῆμος παχεῖα et similia enunciata velut fr. 34: πρὸς τοῖχον ἐκλίνθησαν ἐν παλινσκίῳ et fr. 124: πάντ' ἄνδρ' ἀποσκολύπτειν. Adde fr. 101, si recte Schneidewinus interpretatus est virilia membra: πολλὰς δὲ τυφλὰς ἐγχέ-

λυας ἐδέξω et fr. 32, qua barbarorum simul ratione potioni femina indulsisse dicitur:

Ὥςπερ παρ' αὐλῷ βρῦτον ἢ Θρῆιξ ἀνὴρ
Ἢ Φρὺξ ἔβρυζε, κύβδα δ' ἦν πονευμένη.

Quid quod ne suae quidem poeta parcit famae, id quod testatur Critias apud Ael. v. h. X, 13 (B. fr. 149): οὔτε ὅτι μοιχὸς ἦν, ᾔδειμεν ἂν εἰ μὴ παρ' αὐτοῦ μαθόντες, οὔτε ὅτι λάγνος καὶ ὑβριστής? Et probabile est huius etiam generis reliquias praeter multa glossemata superesse in fr. 47: ἀλλ' ἀπερρώγασί μοι μύκεω τένοντες et in fr. 101, quod paulo supra exscripsi. Acerbissimis eiusmodi conviciis agitatam Lycambae familiam suspendio vitam finivisse veteres praeeunte Horatio ep. 6, 13 et ep. I, 19, 25 multis locis tradiderunt. Quod si verum est, ex ipsis Archilochi carminibus manasse hanc scientiam oportet statuere. Et forte huc pertinet fr. 35 a Photio 193, 22 servatum et explicatum: κύψαντες (= ἀπαγξάμενοι) ὕβριν ἀθρόην ἀπέφλοσαν similiterque fortasse ex fabula illa de aquila et vulpe conscripta inimicorum exitium colligere licet. Sed pro certo dici illud nequit. Et sunt, opinor, quae antea exposui satis idonea, ut cognoscas poetam quidquid didicit vidit, cogitavit sensitque carminibus suis complecti et persequi non dubitavisse.

Neque vero quo erat Ionum hominum vigore et ardore poeta argumenta tantum sumsit recentissima pleraque et propria, sed etiam is erat, qui hos animos aequissimo tamquam corpore vestiret: et sermonem et metrum et recitationem suorum carminum, cum trita mutaret et nova ubique inveniret, ad temporum sive potius rerum rationes revocare et adaptare studuit et potuit.

Atque **SERMO** Archilochi communi nititur universarum in Graecia litterarum fundamento, cum Homeri utitur vocabulis et locutionibus; cfr. Dio Chrys. 55, 6. Non solum a Longino 13, 3 poeta nominatur ὁμηρικώτατος, sed etiam ex reliquiis carmina Homeri penitus eum novisse apparet, quamquam aetatis illius antiquissimae more de genuina origine carminum quae ferebantur non dubitans Margiten Homero tribuisse fertur; v. fr. 153 apud Eustrat. ad Aristot. eth. Nicom. VI, 7. Res et sententias inde petitas postquam p. 5 et 6 monstravimus, restat ut de ipso genere dicendi disseramus. Ipse vocabula Homeri nova vi interpretatur et repetit velut fr. 177: χροαίνειν = ἐπιθυμεῖν, v. schol. ad Ζ 507, et fr. 28: ὑπέρτερος = νεώτερος, v. schol. ad Λ 786; itemque ἐν Καρὸς αἴσῃ = ἐν μισθο-

φόρου καὶ τοῦ τυχόντος στρατιώτου μοίρᾳ, v. schol. ad J 378 ap. B. fr. 24. Praeterea permulti sunt loci, quibus cum homerica paene congruit locutio Archilochi. Omnia exscribere cum longum sit, haec protulisse satis habeo exempla:

fr. 9: κήδεα στονόεντα = ι 12;
fr. 56, 4: παρήορος ∞ Ψ 603;
fr. 93: δολοφρονέουσα ∞ Τ 106;
fr. 74, 8: θαλάσσης ἠχέεντα κύματα ∞ Α 157: θάλασσά τε ἠχήεσσα;
fr. 4, 2: μῶλον Ἄρης συνάγῃ ∞ Π 245 et saep.: μῶλος Ἄρηος et
Ε 861 „ „: ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος;
fr. 59: ἐμάρψαμεν ποσίν ∞ Φ 564: μάρψῃ ταχέεσσι πόδεσσιν.

Omnino igitur dialectus Archilochi, quae nominatur Ias ab Eust. ad Il. 518, 22 et schol. Il. Ψ 199, cum homerica satis congruit. Item posteriorum Ionum κ pro littera π in vocabulis velut ποῦ, ποῖος, similibus eius aetati ignotam fuisse ex antiquis inscriptionibus apparere contendit, ut fando accepi, in ultimo Germanorum philologorum conventu prof. de Willamowitz-Möllendorf. Attamen in singulis iam vocabulis discrimina formae cognoscere licet, velut in iis quae modo exscripsi: συνάγειν et ποσίν. Adde quod vocales et diphthongos per synizesin contrahendas apparet, etiam ubi Bergkius disiunctas exhibet velut 25, 3: ἐρέω, 51: ἔα, 48: Ἄρεω, 93, 2: δολοφρονέουσα, alias. Et quo plura tractabat et recentiora argumenta, eo minus homerico sermone poterat acquiescere. Ita factum est, ut aliunde verborum copiam haurire studeret, quam ei cotidiana hominum consuetudo dicendi subministrabat abunde. Inde ut erat elegans et prudens aptissima et propria quaeque elegit et in suum usum convertit. Quo ex genere singula etiam a nobis inveniri possunt velut

fr. 31: μύρον; v. Ath. XV 688 C: τῷ τοῦ μ. ὀνόματι πρῶτος Ἀρχίλοχος κέχρηται.

Item fr. 25: τυραννίς, v. praeter cetera testimonia a Bergkio laudata arg. Soph. Oed. Tyr., quo Hippias sophista Archilocho primo usum nominis τύραννος fertur tribuisse, quod nomen a Curtio in elem. etym. gr. omissum cum homerico κοίρανος, ut saepius fit, confundere equidem propter υ correptum non ausim.

Accedit fr. 32: βρῦτος = οἶνος κρίθινος*), v. Ath. X 447 B.

*) Alterum cervisiae nomen πῖνον, si ipsi Graeci finxerunt, non Aegyptii, de quorum inventione v. Ath. I, 34, B et l. s. l, facile ducitur a verbo πίνειν velut Germanorum bier a verbo latino bibere. Alterum βρῦτος

Addenda forte sunt:
fr. 72: ἀσκός, v. schol. Eur. Med. 674;
fr. 78: τῖμος, v. Eustath. ad Il. 1148, 38;
fr. 87: ἐλαφρίζειν, v. Hesych. s. v.;
fr. 90: ῥόπτρον, v. etym. m. 715, 44 et alios locos;
fr. 170: ἶπος, v. Poll. 10, 135;
fr. 92: καταπροΐξεσθαι itemque fr. 130 προΐσσεσθαι, v. et. m. 689, 1 et al.

Nomina fr. 46 φηλήτης, fr. 61 Σείριος, fr. 62 Πανέλληνες utrum ex sermone vulgari an ex poesi hesiodea (Op. et D. 373, 415, 526) sumpta sint, vix potest diiudicari, idque eo minus, quod parum constat, num Hesiodi Σείριος idem valeat atque ἥλιος et num versus ille 526 de Panhellenibus genuinus sit; de quibus rebus vid. Göttling. ad hos locos.

Denique A. non pauca videtur ipse finxisse nova. Quo in numero habenda puto vocabula composita vel derivata: fr. 57 κεροπλάστης, 153 κεραύλης, 162 διαβεβοστρυχωμένος, 119 καλλίνικος, 182 μουνόκερα, 110 μελάμπυγος, 189 πύγαργος, 196 τρίχουλος, 194 συκοτραγίδης itemque nomina fr. 79 Ἐρασμονίδης, 89 Κηρυκίδης, denique ap. Hesych. Σελληΐδης. Atque omnino in nominibus suis propriam ille verborum vim et affinitatem videtur indagavisse et statuisse. Huius studii exemplum equidem non attulerim nomen Enipus, quo — quoniam Critias apud Aelianum v. h. X, 13 Archilochum vituperat, quod matrem in carminibus nominaverit servam Enipo — Welckerus in scr. min. I p. 6 suo explicandi studio ductus ancillam illam Iamben sine dubio significatam censet, cum nomen a verbo ἐνίπτω ut hoc a verbo ἰάπτω ductum nihil sit nisi „die scheltfeste“: hoc enim ingeniosius videtur excogitatum esse quam verius. Sed illos dico originationis lusus, quibus A. indulsisse videtur Homeri exemplum secutus utpote nomen Ἄτη T 91 atque Ὀδυσσεύς activa vi τ 407—9 et passiva α 62 interpretati. Certissimum exemplum inest in ipsis verbis fr. 27: Ἄπολλον . . ὄλλυ' ὥςπερ ὀλλύεις. Praeterea in etymol. cod. Voss. legitur Ἐρξίας ὀνο-

Grimmius in lex. germ. II p. 322 s. v. brauen statuit idem significare quod φρυκτόν a verbo φρύγειν ductum. Curtius[4] p. 520 βρῦτον — a Corssenio nachtr. 221 compositum cum lat. voc. defrûtum (sic) — cohaerere putat cum βρύω vel βλύω. Mihi haec omnia probanda vix videntur. Itaque quoniam Sophocles apud Athen. l. l. memorat βρῦτον τὸν χερσαῖον et Archilochus ib. bibentem facit Thracem hominem et Thraces ib. dicuntur comparare vinum hordaceum, ex Thracia ab Archilochi rebus haud ita remota hoc nomen oriundum crediderim.

μα · παρὰ τὸ ῥέξω ῥεξίας καὶ ὑπερθέσει ἐρξίας = ὁ πρακτικός, qui locus disertis verbis revocatur ad Arch. fr. 60. Quae quoniam nominis proprii explicatio est, propria autem nomina a grammaticis explicari alias non solent, coniunctionem quandam fuisse in Archilochi carminibus suspicor nominis Ἐρξίης verbique ῥέζειν sive potius ἔρδειν. Iam contemplemur fr. 62 initium, in quo Clementis scriptura Ἔρξω augenda est in trium syllabarum spatium. Meinekius correxit Ἔρρ' ἰών, Hartungius ἄρχ' ἰών, Bergkius Ἐρξίων, quo nomine appellatum putat eundem amicum, cui antea nomen est Ἐρξίας. Nonne scriberetur aptius ἔρξον οὖν vel simile aliud? Meo quidem iudicio talis ad rem bene gerendam hortatio bene convenit cum mentione communis Martis consolandi causa ex Hom. Σ 309 repetiti. Verum haec hactenus de originationibus satis certis, quas populari potius quam docto explicandi studio motas esse per se apparet.

Tribus igitur ex fontibus, ut ea quae modo dixi comprehendam, **proprium** suum sermonem A. hausit: ex antiquissima poesi et ex ore hominum et ex ingenii sui sollertia. De ipsius autem sermonis genere locuples est testis Quintilianus, qui in inst. or. X, 1 § 59—60 de formanda mente et ducendo colore praecipiens „ad ἕξιν“, inquit, „maxime pertinebit unus A. Summa in hoc vis elocutionis, cum validae tum breves vibrantesque sententiae, plurimum sanguinis atque nervorum . . . . . .“ Et quamquam pleraque fragmenta minora sunt, quam quibus demonstretur, quam recte Quintilianus iudicaverit, tamen ex non nullis hoc suspicari licet.

Ac primum quidem **lacertos** Archilochi a multa carne sermonis epicorum satis temperantis ostendunt comparationes, quas infra enumerabo: compendiariae inveniuntur multae, nulla Homeri more fusius explicata. Praeterea hos potissimum componere libet locos Archilochi et priorum poetarum:

fr. 70: Τοῖος ἀνθρώποισι θυμός [Γλαῦκε, Λεπτίνεω πάϊ]
Γίγνεται θνητοῖς, ὁποίην Ζεὺς ἐπ' ἡμέρην ἄγῃ
cum Hom. σ 135: Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,
et fr. 85: Ἀλλά μ' ὁ λυσιμελὴς [ὦ 'ταῖρε] δάμναται πόθος
cum Hes. Th. 120: Ἠδ' Ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι,
Λυσιμελής, πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων
Δάμναται ἐν στήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.

Quibus comparatis apparet praeter ea, quae ad res describendas opus

erant, vocabula ex multis nulla esse reservata nisi duo epitheta quae vocantur ornantia θνητοῖς et λυσιμελής. Atque etiam longius in breviloquentia progressus procedente tempore talia videtur omnino abiecisse. Nam adiecta quae sunt in fr. 1: ἐρατὸν δῶρον, 4: πολύστονον ἔργον et δεσπόται δουρίκλυτοι, 11: πολιῆς ἁλός et γλυκερὸν νόστον, 17: ὑψηλοὺς κίονας, 54: βαθὺς πόντος, 97: κήλωνος ὀτρυγηφάγου, ea de industria posita puto et propria vi interpretanda, ita ut singula tantum praeter duo modo nominata relinquantur in elegis fr. 5: θοῆς νηός, 6: ἔντος ἀμώμητον, 9, 3: πολυφλοίσβοιο θαλάσσης, in epigrammate l. 18: κουριδίων γάμων, in tetrametris 56: μελαίνῃ χθονί et 74: πατὴρ Ὀλυμπίων, in iambis autem praeter duo fragmenta epicas res ut supra dixi resipientia (26 et 48) omnino nulla. Denique epigrammatum legem, quam nunc in eo positam putamus, ut sententiarum aculei in formam redigantur brevem et legenti vel audienti novam atque inopinatam, A. primus vel inter primos iudicio artis quasi innato ductus observavit, qua de causa tria tantum eius epigr. fr. 17—19 servata esse magnopere dolemus.

Sed cave ne nihil poetam spectavisse putes nisi proprietatem et brevitatem sermonis. Immo si eius interest singula pluribus describere, admirabilis praesto est verborum **copia**. Quam ut cognoscas, considera cum maiora fragmenta 25 et 58 et, in quo polyptotum inest ab Herodiano laudatum, 69 — tum ex glossis nomina partium muliebrium et virilium num. 156: ἀηδών, 165: μύρτον, 180: μύσχον sive μύσχης et 47: μύκης, 97: σάθη, 136: φῦμα μηρίων μεταξύ, 138: μέδεα, 172: ἁπαλὸν κέρας, 101: τυφλαὶ ἐγχέλυες.

Nec desunt denique **lumina** dicendi, unde multi versus traxerunt ornatum quendam et colorem varium. Quo in numero habendum est, quod A. in fr. 66 suum animum ipse compellat et in fr. 57 apostrophe usus Musam alloquitur monetque, ut castigetur Glaucus trossulus. Deinde illusione facta fr. 3: μᾶζα μεμαγμένη per iocum admodum consonat cum verbis μάχη μεμαχημένη et fr. 152: Κάρπαθος τὸν μάρτυρα cum proverbio Καρπάθιος τὸν λαγών. Tum inveniuntur singularum vocum translationes fr. 7: ξείνια χαρίζεσθαι, 9, 8: αἱματόεν ἕλκος, 23: κυμάτων ἐν ἀγκάλαις, 17: ὑψηλοὶ κίονες Νάξου, 53: Ταντάλου λίθος, 66: κυκώμενος, 84: πεπαρμένος δι' ὀστέων, 77: συγκεραυνοῦν, 143: τέττιγα εἴληφας πτεροῦ. Simili sententiae mutatione memorandae sunt inversiones (ἀλληγορίαι) fr. 54, quo A. teste Heracl. Pont. alleg. hom. c. 5 τὸν πόλεμον εἰκάζει θαλαττίῳ κλύδωνι, et fr. 93: Τῇ μὲν ὕδωρ ἐφόρει . . χειρί, τἠτέρῃ

δὲ πῦρ. Accedunt comparationes manifesta similitudine argumenta illustrantes aut sine coniunctione comparativa positae ut fr. 19 συκῆ πετραίη [et 102 κορώνη] aut a vocula ὡς incipientes ut fr. 21 ὥςτ' ὄνου ῥάχις, 68: ὥςτε διψέων πιεῖν, 97: ὡςεί τ' ὄνου Πριηνέος, 106: ὥςτε πέρδικα, denique — nisi forte haec Archilocheis de suo addidit Aelianus — 142: ὥςπερ ἐχῖνον λαβεῖν μὲν ῥάδιον, συνέχειν δὲ χαλεπόν, οὕτω καὶ τὰ χρήματα. Apte his adiunguntur apologi, quorum argumenta iam p. 14 composuimus. Secutus exemplum Hesiodi (Op. 200, cfr. Quintil. V 11 § 19) A. hos non per se inventos, sed ex vulgari sermone sumptos, id quod demonstrari docet Kellerus p. 383 verbis fr. 86: αἶνός τις ἀνθρώπων ὅδε, in usum carminum convertit ὁρῶν, ut ait Iulian. or. VII p. 207, ὡς εἰκὸς τὴν ὑπόθεσιν, ἣν μετήει, τῆς τοιαύτης ψυχαγωγίας ἐνδεῶς ἔχουσαν, σαφῶς δὲ ἐγνωκώς, ὅτι στερομένη μύθου ποίησις ἐποποιία μόνον ἐστίν. Neque vero deinceps res apologorum narrantur, sed alternis ut videtur vicibus inter se colloquuntur aquila et vulpes fr. 87. 88. 96 atque vulpes et simia fr. 91. Similiter in illa de Hercule fabula Nessus Deianiram videtur alloqui fr. 41 et haec ipsa l. 147 πρὸς τὸν Ἡρακλέα ῥαψῳδεῖν dicitur. Nec ita longe ab his rebus absunt sermocinationes ab Aristotele laudatae et supra p. 11 tractatae, quibus A. loquentes facit Charonem fabrum et ignotum quendam patrem. Quibus ex causis id licet opinor coniectari — nam traditum de hac re a veteribus est prorsus nihil — ambitum carminum si non omnium at plurium fuisse haud exiguum. Quae coniectura ea re confirmatur, quod a Plutarcho discernuntur τῶν ἰαμβείων τὰ μὲν . . τὰ δὲ . . : nam siquidem eiusdem carminis iambici partes aliae alio modo pronuntiatae sunt, illud ipsum aliquanto maius fuisse facile sequitur. De compositione autem reliquaque carminum indole ex reliquiis nimium exiguis O. Müllerus I p. 239 statui quidquam posse recte negat. Itaque quamquam admodum pauca tantum de sermone Archilochi exhibuimus, tamen iam finem huic disputationis parti facere necesse est.

Venio nunc ad ea, quae tertio et quarto loco proposueram „musica“ Archilochi inventa. Sed priusquam ad singula descendam, ex re puto esse principem huius quaestionis locum, quod in prooemio dixi Plut. de mus. cap. 28, exscribere et paucis persequi. Cuius verba ad doctissimam Westphalii interpretationem p. 52 disposita (similiter discribuntur in eiusdem hist. mus. I p. 117) sunt haece:
Ἀλλὰ μὴν καὶ Ἀρχίλοχος

A. τὴν τῶν τριμέτρων ῥυθμοποιίαν προςεξεῦρε
B. καὶ τὴν εἰς τοὺς οὐχ ὁμογενεῖς ῥυθμοὺς ἔντασιν
C. καὶ τὴν παρακαταλογήν
D. καὶ τὴν περὶ ταῦτα κροῦσιν.

A′. Πρώτῳ δὲ αὐτῷ τά τ' ἐπῳδὰ καὶ τὰ τετράμετρα καὶ τὸ προκριτικὸν καὶ τὸ προςοδιακὸν ἀποδέδοται καὶ ἡ τοῦ πρώτου αὔξησις, ὑπ' ἐνίων δὲ καὶ τὸ ἐλεγεῖον.

B′. Πρὸς δὲ τούτοις ἥ τε τοῦ ἰαμβείου πρὸς τὸν ἐπιβατὸν παίωνα ἔντασις καὶ ἡ τοῦ ηὐξημένου ἡρῴου εἴς τε τὸν προςοδιακὸν καὶ τὸν κρητικόν.

C′. Ἔτι δὲ τῶν ἰαμβείων τὸ τὰ μὲν λέγεσθαι παρὰ τὴν κροῦσιν, τὰ δὲ ᾄδεσθαι Ἀρχίλοχόν φασι καταδεῖξαι, [εἶθ' οὕτω χρήσασθαι τοὺς τραγικοὺς ποιητάς, Κρέξον δὲ λαβόντα εἰς διθύραμβον χρῆσιν ἀγαγεῖν].

D′. Οἴονται δὲ καὶ τὴν κροῦσιν τὴν ὑπὸ τὴν ᾠδὴν τοῦτον πρῶτον εὑρεῖν, [τοὺς δ' ἀρχαίους πάντας πρόσχορδα κρούειν].

Vides igitur primo loco breviter enumerari quattuor praecipua inventa, quae primus huius conspectus auctor ab Aristoxeni ut videtur disciplina oriundus pluribus infra explicare studuit et illustrare. Vid. Westphalii contra priores loci interpretes disputationem in ed. p. 18 et sequ. atque harm. gr. p. 56 et sequ.. Sed hic sicut aliis libelli partibus Plutarchus aut auctoris sui verba neglegentia vel rerum inscientia adductus perperam mutavit aut aliorum auctorum testimonia temere ingessit. Itaque fieri potuit, ut posteriores loci C′ et D′ praeter additamenta historica uncis a me inclusa cum prioribus C et D plane convenirent, A′ autem et B′ cum locis A et B multo minus: primo loco A′ plura inculcata sunt, quae eadem vel quorum simillima altero B′ repetuntur, praetereaque nonnulla ita sunt comparata, ut quid sibi velint parum perspiciatur. Quae cum ita sint, testimonia ea oportet adhibere et perpendere, quae alii scriptores de his rebus suggerunt copia et maximam partem perspicuitate iucundissima. Sed haec non secundum ordinem verborum Plutarchi, verum ad singula Archilochi metra congerere placet. Quae enim hoc in genere ab Archilocho novata sunt, ea etsi saepius composita inveniuntur in libris de veterum doctrina metrica scriptis, tamen hic quam brevissime in conspectum revocanda mihi videntur, quod cum omnia eius inventa complecti meum est tum nonnulla aliter intellegenda puto ac vulgo solent intellegi.

Ordiamur igitur ab initiis huius **DE METRIS** disputationis. Heroi versus continuitatem cum antea iam poetae ut alienam ab animis novorum temporum vel argumenti generum reprobavissent inventoque pentametro distichum potius elegiacum effinxissent, ipse quoque A. hoc novum libenter accepit et pro virili parte excoluit, id quod testantur fr. 1 — 19 Callineis elegantia videlicet atque lenitate satis superiora. Sed propria sollertia tum demum se praestitit, ubi relictis poesis utque ad id tempus viis ipse novas munivit, quibus quasi viis variae sententiae animum pervadentes et sollicitantes erumperent et proficerent. Quod in elegis nimia inerat σεμνότης et ἁρμονία dactylorum (v. Dion. Hal. de comp. v. p. 224), ne iis quidem excipi et contineri poterat mira poetae alacritas audacia, cavillatio asperitas: hiscum nullus tam bene congruit quam **duplicis generis rhythmus**, quem minutis pedibus et insignibus percussionibus (Cic. de or. III, 47 § 182) celeritate quadam praeditum (Arist. Quint. p. 98) primus usurpavit A.

Atque iambum quidem satis constat non esse formatum ex dactylico prototypo, ut praeter alios opinatur auctor quem sequitur Marius Vict. p. 141, „per detractionem unius temporis“. Id enim statuere indocti est et plane ἀμούσου. Nec tamen eos simpliciter sequi licet, qui ab Archilocho iambum inventum esse dicunt, velut Hor. a. p. 79, Ovid. Ib. 523, Clem. Alex. p. 365. Non ea quidem de causa, quod inventor sit Simonides (v. Suidas s. h. v.) vel Hipponax (Atil. Fortun. p. 286); nec quod ex antiquissimis temporibus servata tradantur iambica oracula (schol. ad Aristoph. Nub. 144 et ad Hom. E 35); nec quod Homeri qui fertur Margitae tribuantur ἰαμβικὰ τοῖς ἔπεσι παρεσπαρμένα (Heph. p. 61. Mar. Vict. p. 68, 79, 133. Atil. Fortun. p. 286): hae enim sententiae aut falsa nituntur temporum ratione aut versibus posteriorum auctorum lusu fictis, velut Margitae iambos hexametris interposuisse dicitur Pigres Halicarnassensis ipsius ut videtur Archilochi exempla secutus. Cfr. Bernhardyi h. l. gr. I p. 377. Sed propterea Archilocho inventionem simpliciter tribuendam nego, quod is „trimetrorum invenit ῥυθμοποιίαν“, ut ait Plut. loco A, „aliorumque eius generis metrorum“, ut recte addidit Westphalius in interpret. p. 52. Ipsum metrum iambicum aliunde est repetendum: ut genus par cultu Apollinis, sic duplex Cereris et Bacchi ortum est festis diebus, quibus ritu veterrimo numeri carminum et saltationum ad hunc rhythmum accommodabantur. Cfr. Aristoph. Ran. 384 et Ath. XIV 622 B. Et apertis verbis ad

illam fabulam, qua Iambe ancilla laeto hunc ad numerum cantu et saltatu Cererem de rapta filia dolentem exhilarasse fertur (v. praeter alios metricorum locos hymn. in Cer. 195—265), in codice Ambrosiano C 222, cuius partem exhibent anal. gramm. ab H. Keilio in progr. paed. Hal. 1848 edita, adiciuntur, quae pro veris habenda sunt: νόμος ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ἐγένετο . . λοιδορεῖν τε καὶ λέγειν . . κακῶς μετὰ γέλωτος, qualibus ludis et conviciis etiamnunc Graecos homines dies messe vel vindemia facta festos agentes indulgere dicit Grotius in hist. graec. (interpretat. Meissnerianae vol. II p. 386, nota). Inventorem igitur iambici ut heroi metri nominatim laudare non licet. At primus cultor iamborum ad artis leges adscriptorum nominandus est A. Veterrimum enim Cereris cultum Pari in patria eius insula floruisse apparet ex hymno hom. 496 et ex prisco insulae nomine Δημητριάς apud Stephanum Byzant. servato. Atque in his festis ubi a pueritia ille hunc rythmum audivit αὐτομάτως (Tricha p. 256) repertum ad ἰάπτειν idoneum, eiusmodi post versus ex rustico sermone sublatos in usum litterarum traduxit effecitque, ut numeri ex tempore nati perpetui existerent propriarum animi sententiarum nuntii et interpretes. Similiter A. in litteras recepit trochaeum ab iambo nulla re diversum nisi perverso κατ' ἀντίθεσιν syllabarum ordine, cui pedi eidem nomen fuit choreo. Quod cum a vocabulo χορός ductum sit, hoc quoque metrum ex festiva saltandi consuetudine sumptum apparet. Serum autem id discriminis intercessit, ut choreus esset hic duarum syllabarum pes, trochaeus tribrachys. Sic Cic. or. 57, 191 et Quintil. IX, 4, 80 et 82. Hephaestioni denique p. 12 et schol. p. 127 et 152 contraria ratione choreus est tribrachys.

Sed priusquam ad alia procedam, pauca duplicis generis vestigia recensere meum est, quae usum Archilocho antiquiorem testari videntur. Ac primum quidem Plut. de mus. 29: τὸν Ὄλυμπον ἐκεῖνον, ᾧ δὴ τὴν ἀρχὴν τῆς Ἑλληνικῆς τε καὶ νομικῆς μούσης ἀποδιδόασι, τό τε τῆς ἁρμονίας γένος ἐξευρεῖν φασι καὶ τῶν ῥυθμῶν τόν τε προσοδιακόν, ἐν ᾧ ὁ τοῦ Ἄρεως νόμος, καὶ τὸν χορεῖον, ᾧ πολλῷ κέχρηται ἐν τοῖς Μητρῴοις. Quem locum Bergkius ind. l. p. VII secutus et tutatus Archilochum cum multa tum trochaeum ex tibina Olympi arte sumsisse statuit. Minus recte id quidem, ut mihi videtur. Quod ut demonstrem, musicae elementa atque incrementa quam brevissime conabor adumbrare. Priscis in Graecia temporibus praeter epicam poesin, de qua dixi p. 4, duplex florebat ars

et schola quaedam certis legibus adstricta: κιθαριστική assis fidibus et αὐλητική assis tibiis νόμους id est modos legitimos canens. Illius auctor princeps fabulis satis obumbratus nominatur Orpheus, huius Olympus, qui ex Phrygia suam artem in Graeciam traduxit (Plut. 5 et 7). Initiis vix clariora sunt incrementa, quae a secta Olympi satis frequenti (Plut. 19: τῶν ἀκολουθησάντων ἐκείνῳ) afferebantur magnamque partem sodalitatis eponymo et principi tribuebantur. Posteri plerique creduli omnia fere inventa ab ipso Olympo repetenda censebant. Attamen fuerunt, qui non nulla ab illo abiudicanda cognoscerent. Quo in numero erat praeter alios Heraclides ap. Plut. 7, qui posteriorem quendam Olympum fuisse statuit, quem Ritschelius op. I p. 263 aliquot post Archilochum annis floruisse censet. Similiter Forkelius in hist. mus. I p. 264. Contra Westphal. in hist. mus. p. 138 totam potius generatim sectam, quam artificis cuiusdam personam, de qua nihil omnino constet, intellegendam contendit. Sive hoc sive illud statuis, priora inventa a posterioribus discernenda concedes. Et considerato musicorum virorum in Plutarchi capitibus 28—30 ordine, quo enumerantur Terpander Archilochus Polymnastus Olympus Lasus novissimique dithyramborum poetae Melanippides Philoxenus Timotheus, mihi non dubium est, quin plura Plutarchus et aliena hic confuderit de mythico illo Olympo perperam cogitans. Itaque prisco Olympo trochaeum tribuendum non constat. Satis similia sunt ea, quae idem Plut. c. 33 habet de Minervae nomo: γενομένου τροχαίου (scil. διτροχαίου) ἀντὶ παίωνος. Quos pedes ut inter se mutaret Olympus, inventa enharmonici generis diesi factum dixit Rossbachius in rhythm. p. 47, negavit Iulius Caesar in elem. rhythm. gr. 1861 p. 90, nota. Rectius Westphalius Plutarchi verba ita interpretatus est, ut priorem nomi partem paeonico, posteriorem trochaico numero confectum diceret. Sed hoc Phryx ille Olympus instituisse vix putandus est. Quid? ille patriam artem ex patria idemque creticam ex Creta in Graeciam intulisset, atque utramque iam inter se coniunxisset? Equidem hoc accipere nequeo. Immo assectatoribus eius nescio quanto minoribus ascribendum illud crediderim. Denique Dio Chrys. I, 1 Olympo orthium quoque in Minervam nomum tribuit. Qui num idem sit atque ille in Plutarchi libro memoratus, quod statuit Bergkius p. l. gr. III p. 810, satis potest dubitari. Ceterum hic, si ab ipso Olympo confectus est, eadem ratione accipiendus videtur, qua Terpandri nomos orthium et trochaeum explicare oportet, ad quos nunc mihi transeundum est.

Terpander enim Lesbius, qui primae apud Lacedaemonios musicae κατ.αστάσεως auctor (Plut. 9) constituit νόμους κιθαρῳδικοὺς (Plut. 3 et 4), cum ad cantum citharae antiqua lyra multo perfectioris (Westph. h. m. p. 91) adaptavit carmina, καὶ τὸν τῆς ὀρθίου μελῳδίας τρόπον τὸν κατὰ τοὺς ὀρθίους (scil. πόδας) πρός τε τῷ ὀρθίῳ καὶ τὸν σημαντὸν τροχαῖον invenisse dicitur a Plut. c. 28. Cfr. Poll. 4, 65 et Suid. et Hesych. Atque orthius pes est, ut tradit Ar. Qu. p. 37, ποὺς δωδεκάσημος ἐκ τετρασήμου ἄρσεως καὶ ὀκτασήμου θέσεως, trochaeus autem semantus contrarius, ita ut vere hic inveniatur duplex rhythmi genus ante Archilochum. Nam Terpander itemque Clonas nomorum auloedicorum auctor (Plut. 3) haud ita multo illo minor (Glauci ὀλίγῳ ὕστερον Plut. c. 5 facilius creditur quam illud πολλῷ χρόνῳ, quod ex alio fonte hausit idem Plut. c. 4) aliquanto ante Archilochum floruisse existimandi sunt. Hoc ex veteribus dixerunt Glaucus ap. Plut. 4 et 5 et Hieronymus ap. Ath. XIV p. 635 E, ex recentioribus C. Fr. Hermannus et in hist. m. p. 64 Westphalius, qui Terpandrum circa primam olympiadem fuisse contendit. Solitam de Terpandri aetate sententiam, qua Carneorum primus nominatur victor c. a. 676, v. Ath. l. l., defendere studuit in dissert. Hal. 1869 O. Loewius. Potuisset aliis causis undecunque prolatis eam addere, quod adeo Aristoxenus antiquorum technographorum facile princeps testis est sententiae Glauci adversus. Vid. quae ipse Westphalius disputavit ad Plut. libr. p. 83, ubi in Plut. c. 20 vocem κιθάρα rectius interpretatur citharoedicam, quam p. 47 vertit citharisticam. Nihilo tamen setius causae ex ipsis musicae artis progressionibus repetitae tantae sunt, ut Loewio assentiri non possimus: Terpander et Clonas priscae musicae legum quam maxime amantes et tenaces carmina confecerunt admodum simplicia et a dactylico genere minime aliena. Terpander heroa Homeri carmina ut sua (exordia? Plut. 6) modis excepit (Plut. 3) ad Orphei exemplum accedentibus (Plut. 5), Clonas ἐλεγείων τε καὶ ἐπῶν ποιητής exstitit (Plut. 3) Olympi fortasse nomos quodammodo aemulans*). Atque etiam nomi utriusque dactylicum rhythmum observasse semper videntur. Nam iambi orthii et trochaei porrecti nil sunt nisi dactylicae tripodiae in modis fortasse instrumentorum expressae, sed

*) Uterque horum videtur composuisse νόμον ἐπικήδειον Plut. 3 et 7; adde quod τὰ προσόδια Plut. c. 3 Clonae, c. 28 Olympo primo tribuuntur. Praeterea cfr. de elegis p. 5.

in verbis ad ternas syllabas contractae. Cfr. quae Plut. 7 habet de Stesichoro Olympi nomum quendam imitato: χρησάμενος τῷ ἁρματίῳ νόμῳ καὶ τῷ κατὰ δάκτυλον εἴδει, ὅ τινες ἐξ ὀρθίου νόμου φασὶν εἶναι. Rhythmi igitur, ex quibus Pollux l. l. nominatos dicit nomum orthium et trochaeum, non sunt singulorum pedum, sed compositorum, quos explicat Aristid. Quint. p. 34, sive — ut nos dicere consuevimus — breviorum ordinum. Neque aliter intellegendi sunt spondei duplices, quos si ex Olympi disciplina (Plut. 11 et saepius) in usum libamentorum transsumsit Terpander (cfr. fr. 1 v. 3 in Bergkii diagrammate p. 813), pro dactylicis dipodiis positos apparet. Neque enim licebat priscae citharoedicae auctoribus, ut ait Plut. c. 6, μεταφέρειν τὰς ἁρμονίας καὶ τοὺς ῥυθμούς. Item Clonae προσόδια et νόμος κωμάρχιος si non dactylicum, id quod Eumeli fr. p. 811 B. et prioris aetatis κῶμοι (Hes. Scut. 281) suadere possint, at anapaesticum exhibebant rythmum sola anacrusi ab illo diversum. Proprium igitur iambi rhythmum in litteris non invenimus ante Archilochum, qui in metris sollemnem scholarum usum aspernatus artem liberiorem populi malebat sequi, quamquam nova ipsius musicae inventa accipere atque etiam coniungere (fr. 76) non dubitavit. Sed haec hactenus de origine generis duplicis.

Recepti novi rhythmi pedes et versus A. mirum in modum variavit. Dactylici pedes singuli spondaicis solum mutari possunt: iambici et trochaici ternis. Horum enim aut brevibus thesibus ἀλόγως productis aut arsibus in binas breves syllabas disiunctis pedes exstant vicarii:

1. spondeus qui vocatur irrationalis (⊤ ⊥ vel ⊥ ⊤),
2. tribrachys iamboides vel trochoides (◡ ◡́◡ vel ◡́◡ ◡),
3. choreus iamboides vel trochoides (sic Arist. Quint. p. 39) sive irrationalis dactylus vel anapaestus (⊤ ◡́◡ vel ◡́◡ ⊤).

Cfr. Heph. p. 17. Anapaestus autem in iambicis versibus, quem Heph. addit usurpatum παρὰ μὲν τοῖς κωμικοῖς συνεχῶς, παρὰ δὲ τοῖς ἰαμβοποιοῖς καὶ τραγικοῖς σπανιώτερον, et dactylus in trochaicis non invenitur. Ea enim vocabula, quae hos pedes efficere videntur, per synizesin contrahenda sunt velut fr. 64, 69, 70 alia. Item iniuria schol. Heph. p. 152 de characteribus trimetri disputans iambographorum dicit proprium τὸ δισυλλάβους μόνους ἐπιδέχεσθαι πόδας similiterque Mar. Vict. p. 85 tetrametrum archil. ex omnibus trochaeis constare. Hos enim refellunt exempla A.: 25, 3. 74, 2

et 8. 21, 4. 71, quibus plura proferre taedet. Ceterum id addere oportet thesin raro tantum produci nec id alias atque in prima vel extrema rhythmici ordinis sede — velut in dipodia, qua plerumque utitur A., iambica primam, in trochaica secundam. Ter. Maur. 2336 p. 395: Trochaeus ergo semper impari loco
Parique iambus rite collocabitur.

Versus novo rythmo ad similitudinem heroorum composuit primo continuos, ut testantur (praeter Hor. ep. 17) fr. 25, 27, 32 et fr. 54, 56, 58, 66, 74, trimetros iamb. acatalectos et tetrametros troch. catalecticos. Novum rhythmi genus usitatum est in sententiis ut acerbo ita amico ore dictis. Contra sententiam vulgarem Mar. Vict. p. 79: „carmen aptum lacerationi et conviciis“ adhibe cum ipsa fragm. tum Mall. Theodor. p. 594: „iambi usus in carmine ita est varius ac multiplex, ut se et alte attollat et quam aptissime ad cotidianum loquendi morem accedat, et ita in severis tristibusque versetur ut etiam in mollibus ac remissis ei sit loci plurimum“, et Procl. chrest. p. 243 W.: Ἔοικε δὲ ὁ ἴαμβος τὸ μὲν παλαιὸν ἐπὶ τῶν εἰς ψόγον καὶ ἔπαινον γραφομένων ὁμοίως λέγεσθαι, itemque schol. Heph. p. 145, quae exscribere nolo. Et quamquam trochaeo saepius a veteribus laudatur iambus, tamen quoniam iamborum nomine facile comprehenduntur trochaei (vide e. gr. locum Aristotelis p. 11 supra exscriptum), facere non possumus quin utroque metro summam poetae laudem dicamus comparatam esse. Alia duplicis generis metra paulo infra proferuntur. Hic unum ex iis, quae metrici produnt archilochiorum nomine, addere opus est certum, quod praeter fragm. Bob. p. 621, Ter. Maur. p. 397 aliosque nominat Heph. p. 20: Τρίμετρον καταλ. τροχ. οἷόν ἐστι τὸ Ἀρχιλόχου, ὅ τινες ἀκέφαλον ἰαμβικὸν καλοῦσι
fr. 99: Ζεῦ πάτερ, γάμον μὲν οὐκ ἐδαισάμην.

Sed haec nova finxisse A. non satis habebat, verum etiam aliam in partem viam munivit eam, ut multa coniungeret metra inter se diversa. Qua ut proficeret, elegiaco motus est disticho, in quo hexametrum heroum versus sequitur, qui ex Hermesianactis temporibus (Ath. XIII p. 589 A) vocatur pentameter, non rhythmo at metro dispar. Cuius ad exemplum longiores et breviores vel eodem vel contrario rhythmo ordines in unum consociavit **stropharum** corpus. Singulae autem quae adhuc inveniuntur strophae sunt hae.

I. Dactylico hexametro primum subiunxit A. dimidium penta-

metrum, quod vocatur penthemimeres dactyl. Terentianus Maurus v. 1807 p. 379:

Hoc doctum Archilochum tradunt genuisse magistri,
Tu mihi, Flacce, sat es.

Et quoniam in reliquiis Archilochi nulladum inveniuntur huius strophae exempla, Horatii c. IV, 7 nos quoque oportet contentos esse.

II. Similiter loco penthemimeris subiunctus est tetram. dact. in disyll. catal., ᾧ πρῶτος μὲν ἐχρήσατο Ἀρχίλοχος ἐν ἐπῳδοῖς οἷον (fr. 98): Φαινόμενον κακὸν οἴκαδ' ἄγεσθαι.

Huius quoque strophae exempla, cum praeter fragmentum ab Hephaestione p. 23 servatum graeca non supersint, petenda sunt Horatii ex ep. 12 atque ex carm. I, 7 et 28.

His strophis, quibus metrici post proprium nomen indiderunt archilochiis (Mar. Vict. p. 165), proxime accedunt pythiambicae, in quibus hexametrum pythicum iambici sequuntur ordines trim. catal. et dim. acat. Prioris exemplum habetur apud Horat. imitatorem Archilochi in ep. 14:

III. Altera iam teritur bellis civilibus aetas
Suis et ipsa Roma viribus ruit,

posterioris apud ipsum Archilochum in fr. 84:

IV. : . . . . Δύστηνος ἔγκειμαι πόθῳ
Ἄψυχος, χαλεπῇσι θεῶν ὀδύνῃσιν ἕκητι
Πεπαρμένος δι' ὀστέων.

Iniuria igitur Diomeden p. 523 G. hanc inventionem Horatio (ep. 14 et 15) tribuisse apparet.

Tertium stropharum par princeps efficit versus trim. iamb. cum dim. iamb. acat. vel penthem. dact. consociatus. Utraque forma apud Archilochum saepius invenitur velut in fr. 94 et 104:

V. Πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε;
Τίς σὰς παρήειρε φρένας; et

VI. Εὖτε πρὸς ἄεθλα δῆμος ἠθροΐζετο,
Ἐν δὲ Βατουσιάδης.

Adde strophas tribus ex partibus confectas. Trimetrum iambicum suscipiunt penthem. eleg. et dim. iamb. acat., quos una ordines metrici appellant elegiambum, ita ut existat stropha in ep. 11 ab Horatio usurpata:

VII. Petti, nihil me sicut antea iuvat
Scribere versiculos amore percussum gravi.

Ex ipsis Archilochi exemplis superest elegiambus in fr. 85:

Ἀλλά μ' ὁ λυσιμελής, ὦ ταῖρε, δάμναται πόθος.

Iidem duo ordines, quibus mutato loco nomen est iambelegus, hexametro succedunt in Hor. ep. 13:

VIII. Horrida tempestas caelum contraxit et imbres
Nivesque deducunt Iovem; nunc mare nunc siluae.

Quam stropham Caesius Bassus p. 271 aperte ab Horatio dicit fictam Archilochi elegiambo in contrarium immutato. At Servius p. 377 Gaisf. Archilocho eam tribuit, cuius fides ea re confirmatur, quod Horatius utitur metris — quantum sciamus — non ab se inventis, sed ad unum omnibus aliunde repetitis.

In utraque hac stropha tertia pars rhythmum repetit primae: aliam tria efficiunt metra tetrap. dact. ac. et dim. troch. brachycat. (ithyphallicus) et trim. iamb. cat., quorum duo non eodem utuntur rhythmo, sed simili clausula: metro enim phalaecio*) terminante, ut ait Marius Vict. p. 118 (cfr. p. 164), decenter inter se consonant. Cui artificio siquid tribuendum sit, vide et audi fr. 103:

IX. Τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθείς
Πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευεν.

Decimam denique stropham — nam incerta exempla velut Iobacchorum formam coniecturis tentare inutile est — ex iambis et trochaeis confectam Rossbachius (III p. 271) statuit esse metrum hymni in Herculem compositi fr. 119, ubi praemisso hemiambo versu intercalari coniungantur tetrap. troch. cat. et trim. iamb. ac.:

Τήνελλα καλλίνικε,
Χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες
Αὐτός τε κἰόλαος αἰχμητὰ δύο.

Sed verba scholiorum ad Aristoph. Av. 1764 et Ach. 1230, quorum

---

*) Phalaecii philicii ithyphallici phallici versuum nomina a latinis metricis post Caesium Bassum recte illa discernentem (v. Keil. p. 266, nota) perperam confunduntur. Itaque Mar. Vict. hic uti saepissime abutitur nomine phalaecii (= v. hendecasyllabi logaoed.) pro ithyphallico. Phallicum corrigere, ut solitus est Gaisfordius, vetamur ductibus codicum, qui hoc nomen, siquid video, non habent nisi in Mar. Vict. add. p. 168, et ratione metri habita tribus locis Ter. Mauri (v. 2555. 2593. 2942). Victorini error unde repetendus mihi videatur, alio fortasse tempore et loco aliquando explicabo.

vestigia secutus Rossbachius hanc constituit stropham, non conveniunt cum omnibus schol. ad Pind. Ol. IX, 1, quibus nixi alii aliam proposuerunt hymni formam. Et cantilenam quidem plerique ad exemplum § 6 congruenter praebent hanc:

Ὦ καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες
Αὐτός δὲ καὶ Ἰόλαος αἰχμητὰ δύο,

nisi quod Bergkius inter plures recensiones principe loco eam proposuit, qua ad fidem § 2—4 interiectionem ὦ ante vocabulum καλλίνικε omittit. Verum de versu intercalari, quod dicitur ephymnium, omnes inter se discrepant. Totas de hac re sententias exscribere longum est; plus quam satis videtur de iis significasse haec. Duobus cantilenae versibus Liebelius praemisit voculam Τήνελλα, Elmsleius subiunxit verba Τήνελλα καλλίνικε, contra singulos versus disiungi voluerunt E. de Leutsch. in Phil. XI, 731 et Bergkius in aliis recensionibus ad fr. 119 subiectis: hic prius distrophum reddidit carmen adiectis verbis Τήνελλα

Καλλίνικε χαῖρ ἄναξ Ἡρ.,

post tristrophum praemisso ephymnio Τήνελλα καλλίνικε et versu priore cum ephymnio suo in fine repetito, ille huic eidem ephymnio ter collocato cantilenae versus interposuit, ita ut strophae formam omnino neglegeret. Ex his conformationibus unam reliquis praeferre difficile est. Aliam viam instituit Westphalius in hist. mus. p. 134, ubi duos profert versus, quorum prioris forma convenit cum fr. 120 ex Iobacchis servato:

Τήνελλα καλλίνικος ὦ, χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες.

Praeterea intercalare illud τήνελλα ex populari repetit Graecorum ephymnio Olympiae iampridem usitato, id quod probat Bergkius p. l. gr. in add. et corrig. p. 1377. Attamen locus satis difficilis videtur alia expediendus esse ratione, quam praeivit L. de Sybel. in annalibus qui inscribuntur „Hermes" V p. 192 s. (a. 1871). Exorsus enim a Pindari loco Ol. IX, 1 multa ille protulit, quae accipere me iuvat et pluribus persequi.

Pindarus ut Epharmosti celebraret victoriam, maiore carmine opus esse inde a versu quinto semet ipse monuit: ante vero sufficiebat, inquit,

Τὸ μὲν 'Αρχιλόχου μέλος
φωνᾶεν 'Ολυμπίᾳ, καλλίνικος ὁ τριπλόος κεχλαδώς,
ἄρκεσε Κρόνιον παρ' ὄχθον ἀγεμονεῦσαι
κωμάζοντι φίλοις Ἐφαρμόστῳ σὺν ἑταίροις.

Ad enarrandum carmen Olympiae cani solitum Callinicum plena fortique voce editum interpretes Pindari ingentem congesserunt molem scholiorum, ex quibus plurimum videtur tribuendum iis, quae vulgo inscribuntur § 6. Horum ex vestigiis adhibita ea parte, quam ex cod. Vrat. Rhedig. A edere Boeckhius supersedit, Sybelius recte dignoscere sibi visus est has Eratosthenis et Aristarchi sententias. Ἐρατοσθένης φησὶ μὴ ἐπινίκιον εἶναι τὸ Ἀρχιλόχου μέλος, ἀλλ' ὕμνον εἰς Ἡρακλέα, τριπλόον δὲ οὐ διὰ τὸ ἐκ τριῶν στροφῶν συγκεῖσθαι, ἀλλὰ διὰ τὸ τρὶς ἐφυμνιάζεσθαι τὸ Καλλίνικε. Huic opposita est Aristarchi sententia, de qua audi verba schol.: τρίστροφος ὢν κατὰ τὸν Ἀρίσταρχον· στροφῇ δὲ καὶ ἀντιστροφῇ [καὶ ἐπῳδῷ] τὰ τῶν λυρικῶν σύγκειται ποιήματα. Adde schol. Pind. Nem. III, 1: Ἀρίσταρχός φησιν ἤτοι τὸν χορὸν . . . αὐτοσχέδιόν τινα ἐπινίκιον ᾆσαι ἢ τὸν Ἀρχιλόχου καλλίνικον. Utra igitur praeferenda videtur? Plerique adhuc Aristarchi partes sequi vel rem in medio relinquere maluerunt. At ipse Pindari scholiasta enarrationes adversas inter se coniungere frustra conatus pergit: βέλτιον δέ, ὅτι τρὶς ἐπῇδον τὸ ἐφύμνιον οἱ κωμασταί. Et hoc recte diiudicatum contendit Sybelius, cum duplici improprietate illud τριπλόος dictum sit pro adverbio τριπλόως et id pro adverbio numerali τρίς. Ternam autem ephymnii acclamationem suadent adeo exempla aliarum linguarum velut nostrae hoch, bravo, hurrah, similia. Denique ἀγεμονεῦσαι κωμάζοντι, quam pompam vespere ad gratias Iovi agendas in Altin ductam esse asseverat Dissenus in comment. Pind. p. 122, Callinicus fertur non quod toto itinere prosodiaci instar sit cantitatus, sed quod usui erat comitibus victorem pompa deduci coeptum honorifice consalutantibus. Sic Pindari locum satis censeo esse illustratum. Atque etiam Lehrsius „de scholiis Pindari" p. 4 scitam vocat Eratosthenis interpretationem. Verum contra Sybelium ira satis vehementi inflammatus idem p. 3 et sequ. contendit et irrepsisse permulta in cod. Vrat. A inutilia atque corrupta neque colligendum ex verbis Eratosthenis οὐ διὰ τὸ ἐκ τριῶν στροφῶν συγκεῖσθαι huic visum hymnum non esse tristrophum. Illud de codice iudicium equidem tangere nolim: quamquam ipse L. paulo post non nulla bono concedit usui servata esse. De altero autem placito ei non possum non obloqui: Aristarchi sententiam cum Eratosthenica quodammodo coniungere vix licet.

Ac primum quidem de voce τριπλόος videtur agendum esse. Aristarchus suam de tribus carminis strophis sententiam duobus in libris protulisse potest: et in Archilochum et in Pindarum commen-

tarios eum scripsisse scimus; vid. Clem. Al. I p. 326 et Bernhard. I p. 568. Tamen Pindari interpretes ex Pindari enarrationibus illa repetivisse consentaneum est. Loco autem illo cum nihil fere enarrandum esset quam vox τριπλόος, credamusne Aristarchum de strophis carminis verba fecisse inutilia, prorsus tacuisse de ipsa re obscura? An rectam eius interpretationem scholiastas in excerpendo omisisse? Ego utrumque statuere nequeo. Immo Aristarchus in explicando illo τριπλόος propriam vocis vim quam maxime servans a recta via videtur aberravisse. Quod si hic factum est, alterum quoque testimonium, quo Archilochi Callinicus epinicii loco usurpatus narratur, schol. Nem. III, accurate apparet examinandum esse. Hanc ad sententiam pertinent sine dubio verba schol. § 6: Τὸ μ. Ἀ. μ., ὃ τοῖς νικῶσι τὰ Ὀλύμπια ἐπήδετο . . . κοινῶς δυνάμενον ἁρμόζειν ἐπὶ παντὸς νικηφόρου διὰ τὸ καὶ τῆς πράξεως αὐτῆς ψιλὸν ἔχειν τὸν λόγον, μήτε δὲ ὄνομα μήτε ἰδίωμα ἀγωνίσματος. Haec ex Eratosthenis sententia ab initio de una vocula καλλίνικε dicta temere a scholiasta in Aristarchi usum translata crediderim. Aristarchus meo quidem iudicio hoc dicere non potuit. Nam istud scholium nec per se est credibile — quid enim in illo carmine fuisse putemus? — et exiguis quas habemus reliquiis refutatur, cum praeter ipsum Herculem nominetur Iolaus eius comes fide et fortitudine spectata insignis. Hos autem viros etsi ab Epharmosti gente non prorsus alienos fuisse testatur idem Pindari carmen v. 30 et 98, tamen vix atque aegre in celebranda huius victoria, nedum in qualibet alia apte usurpari mihi persuadeo peculiarem quendam in Herculem hymnum. Quae autem scholiastae in incredibilia auxerunt, ea — ut breviter dicam — Aristarchus praeivit falsa adductus sua Pindari Ol. IX, 2 interpretatione, id quod docet vel nomen καλλίνικος in scholium illud hinc traductum. Utraque igitur in re Eratosthenis sententia verisimilis ab Aristarcho iniuria impugnata est.

Porro pergens ne tristrophum quidem fuisse illud carmen monstrare conabor. Qua in opera id non urgeo, quod scholium s. l. τὰ τρία τοῦ Στησιχόρου quae vocantur Archilocho ut lyrico poetae tribuit; hoc sine dubio scholiastae iterum addiderunt inepte, cum Alexandriae iambographos a lyricis poetis seiungi solitos esse satis constet. Sed ipsam Archilochi poesin considerantes duobus nominibus illam sententiam refelli videmus. Nam nec A. ullum confecit carmen a choro quodam cantandum, sed suum ipse spectavit usum singularem; et ad unam omnes eius strophae constant ex duobus versibus,

qui mos quin hic quoque observatus sit non habeo cur dubitem. Iam finge tibi hymnum archilocheum tristrophum, cuius universa cantilena non plus habuerit quam sex versus! Eiusmodi nugis quis credit tantum gloriae tribuisse Graecos homines elegantissimos, quantum ex Aristarchi sententia oportet statuere? Quid plura? Aristarchus carmen quod vocat Callinicum ut epinicii loco usitatum fuisse ita tres strophas habuisse ex ipso collegit Pindari loco, quem minus apte quam Eratosthenes explicandum duxit. Hoc autem fieri non videtur potuisse, nisi genuinus Archilochi hymnus iam pridem interiisset, ita ut nihil servatum tum esset praeter exordium, ex quo maxime notum erat nova illa vox καλλίνικος.

Huc postquam venimus Eratosthenem secuti de acclamationis usu disputantem, eundem oportet audire de voce τήνελλα, quam ab Archilocho cum illo καλλίνικε coniunctam volunt plerique et ex veteribus et ex recentioribus auctoribus. Verba sunt in fine § 6: Περὶ δὲ τοῦ Τ. Ἐρατοσθένης φησίν, ὅτι ὅτε ὁ αὐλητὴς ἢ ὁ κιθαριστὴς μὴ παρῆν, ὁ ἔξαρχος αὐτὸ μεταλαβὼν ἔλεγεν ἔξω τοῦ μέλους, ὁ δὲ τῶν κωμαστῶν χορὸς ἐπέβαλε τὸ Καλλίνικε, καὶ οὕτω συνειρόμενον γέγονε τὸ Τήνελλα καλλίνικε. Ἡ δὲ ἀρχὴ τοῦ μέλους ἐστίν· Ὦ Κ. χ. ἄναξ Ἡράκλεες. Eratosthenes igitur vocem illam T., quam Pindarus non memorat, novit utpote Aristophanis iam aetate in ephymnii formula usitatam, sed certo auctori non tribuit. Archilochum a fidicine vel tibicine destitutum inventorem esse voculae illius ut aiunt onomatopoeticae posterioris aetatis consentiens est opinio, quam princeps videtur protulisse Aristides (v. Milleri librum qui inscribitur „Melanges“ p. 363: Τήνελλα τοῦτο συμβολικόν ἐστιν· φησὶ δὲ Ἀριστείδης Ἀρχιλόχου εἶναι), summa autem audacia narratiunculis commenticiis exornavit Tzetzes in Chil. I v. 685 sequ. His ita explicatis Sybelius T. illud ab Archilochi carmine omnino removendum censet. Neque id iniuria. Archilochi enim hymnus, ut meam tandem promam sententiam, ex solis constitit trimetris ad formam strophae non redactis. Hoc fieri potuisse testatur schol. Heph. p. 145 de iambo addens: ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ ὕμνοι γράφονται τούτῳ, ὥστε καὶ εὐσεβής. Et factum hoc esse indicant verba schol. Pind. § 6, quorum in contextu primus versus incipit a vocula ὦ, nec minus imitatio quaedam Aristophanis Av. 869 hymni sollemnitatem satis redolens. Diserte item traditur trimetro confectum esse fr. 48, cuius argumentum et adiectivum ad hymnum quadrare p. 7 et 18 demonstratum est. De ephymnio Archilochi metrici, qui

cetera eius inventa enumeraverunt diligenter, nihil habent et scholiorum istorum testimonia ut per se sunt varia et obscura*) ita a probabilitate rerum longissime absunt. Nam quamquam ex Hebraeorum poesi exempli gratia proferri potest psalmus 136 atque ex ipsis graecis litteris Sapphus fr. 91, in quo epithalamio molliculo et a mulierculis cantato ephymnium sive potius mesymnium (Heph. p. 72) singulos sequitur versiculos, tamen auctoritatem Pindari et Eratosthenis quodammodo confirmat Aristophanes in Acharn. v. 1328 et 1330 τήνελλα separans ab illa voce καλλίνικος. Et ephymnii istud κομμάτιον Archilocho concisi sermonis auctori tribuere eo minus ausim, quod meo quidem iudicio omnino fieri vix potuit, ut ephymnium post singulos vel binos versus repetitum audire viriles animos non taederet.

Priusquam longius procedo Buchholtzii sententia memoranda et reprobanda est, qui — ignorata vel neglecta Sybelii disputatione — a. 1873 in mus. Rhen. vol. 28 p. 558—567 de hymnis disserens Archilochi et Terpandri hanc eandem rem pluribus tractavit. Is postquam recte explicavit propter id ipsum, quod alii iambos tantum laudantes cetera silentio praeteriissent, alios Archilocho tribuisse inventorum novorum nimium, Plutarchi verba perlustrans creticum ab eo abiudicandum censet similiterque inventionem prosodiaci. Sed non abiudicandum huius usum: immo metrum ab Olympo maiore inventum Archilochum adhibuisse in fingendis hymnorum exordiis, ita ut — sicut alias fieri soleat — hymni nostri principes ad deum advocandum fuissent tres fere versus ex quinis sine dubio syllabis productis constantes; hos secutos esse instrumenti sonos aut vicarium illud τήνελλα; inde demum cantilenam chori incepisse vacuis temporibus sive musicis sonis intercisam; strophas enim inter se respondentes ex ipsis demum Archilochi epodis postea ortos esse.

*) Mihi ne vis onomatopoetica quidem illius μιμήσεως satis constat. Variis Aristophanis in Avibus voculis cantus volucrum resonantibus vehementissime delector. Ennianum illud „taratantara" (Serv. ad Verg. Aen. IX, 503) tubae sonitum optime imitari sentio. Vocem βλίτυρι, qua chordae sonos Graecos expressisse Volkmannus testatur ad Plut. de mus. p. 156, et vocem μὺ μῦ, qua Arist. Equ. 10 Athenienses inducit ξυναυλίαν Olympi more instituentes, aptissime concedo esse inventas. Tibiarum autem vel fidium cantum vocabulo hoc τήνελλα quasi editum auribus percipere equidem nequeo. Similiter non intellego, quomodo vox illa ante vel post cantilenam pronuntiata instrumenti succentum simulare possit. Itaque incerta mihi sunt et quae de origine et quae de usu eius traduntur.

Qua in explicatione prima et extrema libenter accipio; quae de metro prosodiaco interposita sunt, ea omnia reicio. Nam quod B. exordia nomorum et hymnorum proprio quodam metro statuit confecta esse, hac de re provoco ad ea, quae p. 26 disputavi. Opus autem illud fuisse prorsus nego. Vide mihi, quae habet schol. Arist. Nub. 595 de eiusdem Terpandri fr. 2 dactylis confecto: τὸ δὲ „ἀμφί μοι“ αὖτε ἐκ τῶν Τερπάνδρου προοιμίων· καὶ γὰρ ἐκεῖνος οὕτως ἤρξατο. Similiter de ipsius Archilochi fr. 75 Plut. de aud. poet. c. 6: ὁ Ἀ., inquit, ὅταν μὲν εὐχόμενος λέγῃ· Κλῦθ' ἄναξ κτλ., αὐτὸν τὸν θεὸν ἐπικαλούμενος δῆλός ἐστιν. Adde quod Alcman. fr. 1 sine dubio exordium est hymni in Iovem compositi hoc metro:

Μῶσ' ἄγε, Μῶσα λιγεῖα πολυμμελὲς αἰενάοιδε μέλος

et quod idem fr. 45 καὶ ὅλας στροφάς, ut ait Heph. p. 24, τούτῳ τῷ μέτρῳ κατεμέτρησε·

Μῶσ' ἄγε, Καλλιόπα, θύγατερ Διός.

Ex his puto satis apparere, quam non probabiliter Buchholtzius Archilocho novum prooemium attribuere voluerit. De voce τήνελλα post ea, quae supra diximus, nihil est adiciendum. De metro autem prosodiaco ad ea nunc provoco, quae in contextu meae quaestionis explicantur. Itaque Buchholtzium, qui postquam nimium Archilocho tribui vetuit, id ipsum quod vetuit non vitavit, iam mittimus et ad stropharum conspectum redimus, unde paulo longius digressi eramus.

Omnes eae, quarum forma constat, strophae e duobus versibus ita compositae sunt, ut evadant ἐπῳδοί (scilic. στροφαί) vel — ut diligenter servemus nomina metricorum velut Hephaest. p. 71 — ἐπῳδοί et προῳδοί, quarum illae efficiuntur, ὅταν μεγάλῳ στίχῳ περιττόν τι ἐπιφέρηται, hae autem, ὅταν ἔμπαλιν ἡ τάξις ᾖ, ita ut longior breviorem versum excipiat. **Epodorum** quae vulgo dicuntur, etsi nomen aliquanto demum post a metricis inditum esse credibile est, tamen rationem ab Archilocho inventam esse produnt Plutarchus l. l. A', Mar. Vict. p. 104, auctor noni ex fragmentis de musica Censorini editionibus addi solitis p. 607 K., alii. Omnes autem quas habemus stropharum formae — etiam eae quas numeris VII — IX tribus ex partibus constare docui — epodis adnumerandae sunt, quod A. non modo duos versus in unius strophae, verum etiam duos ordines in unius versus corpus consociavit sive quod, ut breviter dicam, versus invenit **asynartetos**, de quibus Heph. XV, p. 47: Πρῶτος δὲ καὶ τούτοις Ἀ. κέχρηται.

De vi et sententia horum versuum quamquam ad verbum fere congruunt definitiones

Hephaestionis l. 1.	et tract. Harl. apud Gaisf. p. 333
γίνεται δὲ ἀσυνάρτητα, ὁπόταν	γίνεται δέ, ὅταν
δύο κῶλα	δύο κῶλα ἐξ ἄλλου καὶ ἄλλου μέτρου
μὴ δυνάμενα ἀλλήλοις συναρτηθῆναι	μὴ δυνάμενα ἀλλήλοις συναρτηθῆναι
μήτε ἕνωσιν ἔχειν	. . . .
ἀντὶ ἑνὸς μόνου παραλαμβάνηται στίχου	ἀνθ' ἑνὸς παραλαμβάνηται στίχου,

tamen ex utraque non liquet, cur ista cola nequeant συναρτηθῆναι ἀλλήλοις vel ἕνωσιν ἔχειν. Quae enim exempla ad rem illustrandam illic afferuntur nec minus ea, quae suppeditat Mar. Victor. in quarto libro, qui inscribitur „de conexis inter se atque inconexis, quae Graeci ἀσυνάρτητα vocant", ea plures res et diversas inter se confundunt. Nec minus obscura et partim falsa sunt, quae de asynartetis id est inconvenientibus metris habet Marius Plotius p. 545, in fine loci p. 546 perperam contra Iubam metricum τὰ πάθη τοῦ ἡρωικοῦ (cfr. schol. Heph. p. 167) asynartetorum rationi attribuens. Quid mirum igitur, quod etiam recentiores haesitaverunt viri docti? Bentleius ad Hor. ep. 11 p. 316 statuit syllabam ultimam prioris coli perinde esse ac si integrum hexametrum vel iambicum clauderet, sicut indicia quae vocantur versus clausi in fr. 115 Archilochi et saepius apud Horatium inveniuntur. Quam sententiam probaverunt G. Hermannus in el. doctr. m. p. 640, O. Muellerus in hist. l. gr. I p. 244, alii. Sed quo nisus Bentleius hoc statuit Archilochi fr. 115:

Καὶ βήσσας ὀρέων δυςπαιπάλους, οἷος ἦν ἐφ' ἥβης,

ei exemplo quasi ἐν παρέργῳ tantum Heph. p. 50, quocum satis congruit Mar. Vict. p. 152, adicit verba: γίνεται δὲ ὁ τελευταῖος τῆς τετραποδίας διὰ τὴν ἐπὶ τέλους ἀδιάφορον καὶ κρητικός. Ceterum vid. Heph. p. 16. Unde efficitur sola syllaba in fine ancipiti non fieri versum asynartetum. Rossbachius et Westphalius*) in priore

*) Gepperti de asynartetis quaestiones non inspexi. Iulii Caesaris de vers. asyn. commentationem in ind. schol. Marburgi per sem. aest. 1864 hab. eiusdemque emendationes. hephaest. ib. 1868 duabus partibus editas absoluto meo iam opusculo legi, sed nihil fere novi addendum inveni.

ed. III p. 342 asynartetos esse putaverunt eos versus, quorum cola essent ἀλλοιόμετρα id est non eiusdem metri καθαροῦ vel μικτοῦ. Verum a schol. Hephaest. p. 201 asynartetis etiam versus adnumerantur, quorum cola sunt eiusdem metri, velut elegiacum. Itaque ipse Westphalius diutius in ea re versatus adhibitisque omnibus scriptorum et scholiastarum testimoniis in novo libro II[b] p. 498 s. amplissimo asynartetorum nomine omnes versus comprehendit, qui confecti sunt continuitate τοῦ ῥυθμιζομένου quocunque modo turbata. Et recte, nisi quod paulo plus ex veterum libris retinendum censuit. Quod ut demonstrem, totam quaestionem satis difficilem opus est quam brevissime explicare et illustrare.

In XV Hephaestionis capite p. 54 metrum Sapphus fr. 85:

Ἔστι μοι καλὰ πάϊς χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν
— ◡ — ◡ ‒ ◡ — — ◡ ‒ ◡ — ◡ — ◡

asynartetum nominatur et id τροχαϊκὸν προκαταληκτικόν, p. 56 versus Pherecratis ἐν τῇ Κοριαννοῖ fr. 5:

Ἄνδρες πρόςχετε τὸν νοῦν ἐξευρήματι καινῷ
— — — ◡◡ — ‒ — — ‒ ◡ ◡ ‒ —

δικαταληκτικὸν ἐκ τῶν ἀντισπαστικῶν καταληκτικῶν διμέτρων, et versus Callimachi:

Δήμητρι τῇ πυλαίῃ τῇ τοῦτον οὐκ Πελασγῶν
⊥ — ◡ — ◡ — ⊥ ⊥ — ◡ — ◡ — ⊥

δικατάληκτον ἐκ τῶν ἰαμβικῶν ἐφθημιμερῶν. Metra autem procatalecta et dicatalecta (sic legendum est secundum praecepta grammaticae de eiusmodi compositis), quamquam nomen δικαταληξία Mar. Vict. I pag. 62 perperam explicat, et nominibus et exemplis ea esse docemur metra, quibus aut in mediis aut in mediis et extremis pedis deest particula, ita ut ordo existat catalecticus. Eandem rem tecte invenimus significatam apud Mar. Vict. p. 103*): praeterea permixtiones colorum, id est membrorum, in metris quadripartitae sunt. Aut enim metra

(IV) ex duobus colis imperfectis conciliantur
(I) aut [ex] duobus perfectis
(II) aut ex perfecto et imperfecto
(III) aut contra, id est ex imperfecto et perfecto

---

*) Permire accidit, ut in l. tertio Mar. Vict. in universum disputans de mixtis ac mutua conexione sociatis metr. generibus meliora exhiberet quam in quarto, qui proprie inscribitur de asynartetis.

et apud Aristiden Quint. p. 56 edit. Meibom.*): Τὰ μὲν οὖν ἁπλᾶ μέτρα καὶ πρωτότυπα ταῦτά ἐστιν. Γίνεται δὲ ἐκ τούτων τῶν αὐτῶν μὲν διπλασιαζομένων μέτρων σύνθετα· τῶν δ' ἀνομοίων ἀσυνάρτητα. τούτων δὲ

(I) τὰ μὲν ἐκ δυοῖν ἓν ἀποτελεῖ κῶλον,
(II) τὰ δὲ ἐκ μέτρου καὶ τομῆς [ἢ μέτρου καὶ τομῶν,
(IV) ἢ ἐκ πασῶν τομῶν,]
(III) ἢ ἀνάπαλιν τομῆς καὶ μέτρου . . . καὶ μέτρων.

Utrumque locum facile apparet ex uno fonte haustum esse (Hensius in quaest. hel. p. 128 Heliodori eam doctrinam dicit), sed ita haustum, ut Victorinus singula perverteret et omitteret, Aristides autem technographi verba transponeret atque etiam in falsa mutaret: rectius enim, si audimus Heph. p. 64 et alios, μέτρον dicitur totum versus corpus, κῶλον versus membrum ἀκατάληκτον, τομή sive κόμμα membrum καταληκτικόν. Primariam auctoris scripturam Westphalius ita restituisse sibi videtur, ut in fine loci Aristidis acciperet emendationem Meibomii (v. adnot. p. 280) ἢ ἀνάπαλιν τομῆς καὶ μέτρου ἢ τομῶν καὶ μέτρων et verba transponeret ad numeros supra a me adscriptos. Equidem satius duco verba supra uncis circumscripta in fine collocare locumque constituere hoc modo:

I. τὰ μὲν ἐκ δυοῖν κώλων ἓν ἀποτελεῖ μέτρον,
II. τὰ δὲ a) ἐκ κώλου καὶ τομῆς,
b) ἢ ἀνάπαλιν ἐκ τομῆς καὶ κώλου,
c) ἢ κώλου καὶ τομῶν ἢ ἐκ πασῶν τομῶν.

Verba illa, quae Meibomii moverunt coniecturam, καὶ μέτρων aut spuria videntur esse ut per errorem addita aut, si facili mutatione legere mavis ἢ καὶ μέτρων (int. κώλων), parum necessaria utpote frigido tantum et κακοζήλῳ disiungendi studio ad praecedentia verba καὶ κώλου plurali numero addita. Sive hoc sive illud statuis, apte vides discerni asynartetorum (aliter enim illud τούτων intellegi non potest) I. τὰ μὲν . . . . ἀκατάληκτα,
II. τὰ δὲ . . . . a) καταληκτικά,
b) προκατάληκτα,
c) δικατάληκτα aut, si hac nova forma uti mihi licet, πολυκατάληκτα.

*) Christius p. 572 hanc laudat definitionem praecise confectam quasi sit optima. Idem ut statim hoc addam, versus „impariter iunctos“ ab Hor. a. p. 75 dictos esse vult asynartetos, qui nulli alii mihi videntur esse quam hexameter et pentameter.

Qua ratione quattuor efficiuntur versuum genera, quae aliquatenus congruunt cum iis, quae aliis locis leguntur et a Westphalio congestae explicantur. Sequamur igitur denuo viri sollertissimi vestigia.

Ac primum quidem ille p. 100 ea metra, quae tractavit Heph. cap. V—XIII: iambicum, trochaicum, dactyl., anap., choriamb., antispast., ion. a mai., ion. a. min., paeon., aut μονοειδῆ dicit esse posse aut ὁμοιοειδῆ aut ἀντιπαθῆ, id quod sequatur ex hisce verbis multis illorum capitum praemissis: συντίθεται μὲν καὶ καθαρόν, συντίθεται δὲ καὶ ἐπίμικτον πρὸς τὰς ἰαμβικάς vel πρὸς τὰς τροχαικάς (scil. διποδίας sive συζυγίας sive βάσεις) et ex c. XIV περὶ τῶν κατ' ἀντιπάθειαν μίξεων. Hac in demonstratione id unum monendum est, quod ἐπίμικτα statuuntur ab Hephaestione c. IX—XII metra choriamb., antispast., duo ion.: dactyl. et anapaest. non item; haec enim cum trochaicis et iambicis consociata nominantur λογαοιδικά p. 25 et 29 vel αἰολικά*) p. 24, ita ut ἐπίμικτα semper constent ex dipodiis ἑξασήμοις. Ceterum recte Westphalius eadem versuum genera in asynartetis distinguere studet.

Et μονοειδῆ quamquam Heph. p. 43 cum schol. p. 200 sic appellata docet metra (συναρτητικά) ὡς πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἀσυναρτήτων· ἐκεῖνα γὰρ (= as.) ἐκ δύο εἰδῶν συνέστηκεν, tamen asynarteta statuenda sunt, quoniam a schol. Heph. p. 201 μονοειδῆ memorantur οἷον τὸ ἐλεγειακόν. Tum eodem scholio etiam ὁμοιοειδῆ proferuntur ἀσυνάρτητα, οἷον ὅταν τὰ ἰαμβικὰ μὴ τέλεια ὄντα χοριαμβικοῖς ἢ ἀντισπαστικοῖς ἐπιφέρηται, ἢ τροχαικὰ ἰωνικοῖς, ἢ ἐναλλάξ, quod ἐναλλάξ ita explicandum videtur, ut ἰαμβικὰ μὴ τέλεια ὄντα antecedant χοριαμβικά et cet. Denique ἀσ. ἀντιπαθῶν duo statuuntur genera: aut κατὰ τὴν πρώτην ἀντιπάθειαν, quae est ἡ ἐκ τῶν δισυλλάβων τῶν ἐναντίων σύνθεσις πρὸς τοὺς δισυλλάβους ἢ ἐκ τρισυλλάβων, τοῦτ' ἔστι τῶν ἁπλῶν, ὅταν ἐξ ἀντιστροφῆς παραλαμβάνωνται (cfr. schol. Heph. p. 208 et 209), aut κατὰ τὴν δευτέραν ἀντιπάθειαν, quae est ἡ ἐν τοῖς συνθέτοις i. e. ἐν τοῖς τετρασυλλάβοις ἐναντίωσις, ut docet schol. Heph. p. 208.

His tribus asynartetorum generibus quartum etiam additur, quod in conexis metris non invenitur, genus τῶν ἐπισυνθέτων. Episynthetum autem schol. Heph. 206 explicat τὸ ἐκ διαφόρων ποδῶν

*) Alia rursus ratione apud Heph. c. XI p. 37 de tetram. ion. a mai. acatal. legitur: τρισὶν ἰωνικοῖς μίαν τροχαϊκὴν τελευταίαν ἐπήγαγον· καλεῖται δὲ Αἰολικόν, ὅτι Σαπφὼ πολλῷ αὐτῷ ἐχρήσατο.

συγκείμενον ἀσυμφώνων ἀλλήλοις κατὰ τὴν ποσότητα: δισυλλάβων καὶ τρισυλλάβων. Eandem rem falso δικαταληξίας nomine significat Mar. Vict. loco supra laudato, ubi „praeter has depositiones, inquit, est aeque quae δ. nominatur, cum ex diversis metris versus sub unius figura componitur. Nam si sit dact. tetrap. et ithyphallus.... isque versus quasi uniformis pronuntietur, δικαταληξίαν patitur."

Episyntheta item significari possis conicere verbis tract. Harl. s. l.: δύο κῶλα ἐξ ἄλλου καὶ ἄλλου μέτρου μὴ δυνάμενα ἀλλήλοις συναρτηθῆναι, quibus in defin. Heph. opposita possint esse reliqua as. genera μὴ δυνάμενα ἕνωσιν ἔχειν. Cfr. schol. Heph. p. 201: Τὸ γὰρ πρῶτον μέρος τοῦ ἐλεγείου πρὸς τὸ δεύτερον οὐχ ἥνωται τῷ μέτρῳ (οἷον μὴ κοινωνίαν ἔχοντα, ἀλλ' ἀσ. ὄντα). At ultimum ex quinque exemplis tract. Harl. non est, ut cetera, episynthetum. Itaque sic ordinem quendam in Hephaestionis exemplis qui desideratur vix possumus deprehendere. Westphalius in Heph. edit. invexit distinctiones schol. p. 201, quae nisi ἐλεγεῖον ex p. 53 transfers in p. 56, stare nequeunt. Ceterum in illo scholio accuratissima inest singulorum asynartetorum enumeratio. Verba ex doctrina Heliodori, quem octo metra prototypa statuisse constat, a scholiasta repetita (v. Hensii quaest. heliodor. p. 127) sunt haec: Ἰστέον δὲ ὅτι ἀσυνάρτητα τὰ πάντα ξδ'. Τὰ γὰρ ὀκτὼ μέτρα τοῖς ὀκτὼ μέτροις, τοῦτ' ἔστιν ἑαυτοῖς, ἐπιπλεκόμενα τὰ ξδ' ταῦτα γίνεται. Ἀπὸ τῶν ἑξασήμων μέν, quibus propter διποδίας ἑξασήμους etiam iambi et trochaei adnumerantur, λς'· ἑξάκις γὰρ τὰ ς' λς'· τῶν δὲ τετρασήμων τέσσαρα. Τὰ δὲ λεγόμενα ἐπισύνθετά εἰσι κδ', ἃ καὶ αὐτά ἐστι τῶν ἀσυναρτήτων. Ἔτι δὲ καὶ θάτερον τρόπον, τούτων μονοειδῆ μέν ἐστιν ὀκτώ·... ὁμοιοειδῆ δὲ ὀκτώ·... ἐπισύνθετα δὲ κδ'· ἀντιπαθῆ κδ', ὧν τὰ μὲν πρώτης ἀντιπαθείας, ὅσων μιᾶς συλλαβῆς ἐκτιθεμένης τὸ ὅλον ἓν ποιεῖ[ται], verba τὰ δὲ τῆς δευτέρας etc. exciderunt. Hiscum satis conveniunt ea, quae Mar. Vict. III p. 102 et sequ. exhibet de duplici iungendi ratione, cum alia coeant consentanea et veluti cognata, alia dissidentia ac contraria, ita ut alia in conexionem convenisse videantur lenem ac liquidam, alia in confragosam atque asperam. Non omnia illa 64 genera inveniri facile per se apparet atque multo etiam minus ea, quae Mar. Vict. III, 3 in fine eius capitis protulit, quod est de summa numeri, quae metrorum multiplicatione redigitur. Illic enim p. 106 multiplicatis inter se diversae proceritatis colis, ut maiores in hac arte sublimes tradiderint, differentiarum, quibus asyn. id est inconexa colligantur,

quattuor milia XCVI genera effici dicit. Sed penitus in hanc ἐπ' ἀκριβὲς τεχνολογίαν, quam Aristid. Quint. p. 56 εὐχερῆ τοῖς ἐπιστήμοσι nominat, immergere nolo. Timeo enim ne tota ista doctrina spinosior fuerit quam utilior. Certe posterioris aetatis metricis admirationem potius quam intellegentiam videtur movisse. An hos homines multis locis errantes ἐπιστήμονας fuisse putemus, siquidem adeo Hephaestio Sapphus fr. 85, quod p. 38 exscripsimus, asynartetis adnumerat, quamquam constituta vocularum χρυσίοισιν v. 1 et Λυδίας v. 3 synizesi, ut probabiliter docet Bergkius ad h. l., recta metrum procedit?

Ne Westphalius quidem plane retinuit distinctiones veterum, sed in metr. p. 231 postquam ἀντιπαθῆ τῆς δευτέρας ἀντιπαθείας exhibere dicit non tam εἴδη ἀντιπαθοῦντα eiusdem generis quam pedes diversorum generum metricorum, ὁμοιοπαθῆ et ἀντιπαθῆ κατὰ τὴν δευτέραν ἀντιπάθειαν, quorum cola e diversorum generum pedibus constant, uno τῶν μικτῶν genere comprehendi mavult, ita ut relinquantur ἀσυνάρτητα μονοειδῆ, ἀντιπαθῆ, ἐπισύνθετα, μικτά.

Mihi vel hic quattuor generum numerus videtur esse maior quam quo opus sit. Nam quid interest inter ἀσ. μονοειδῆ et ἀντιπαθῆ? Utraque cum existant sive arsi mora vel moris thesis aucta sive thesi inanibus temporibus compensata*), fieri non potest quin metra ab arsi incipientia asynarteta fiant μονοειδῆ, a thesi ἀντιπαθῆ. Quodsi trochaei et iambi, dactyli et anapaesti, alii pedes omnium consensu inter se non sunt diversi (nisi anacrusi), asynarteta μονοειδῆ et ἀντιπαθῆ item non disiungenda apparet. Nec aliter de iis iudicandum est, quae Westphalius nominavit mixta. Nam siquidem mixtionem constat ita fieri, ut inter se iungantur pedes syllabarum numero impares, sed aurium mensura pares utpote peculiari quadam syllabarum ratione aequati, ne mixta quidem asynarteta iure ab illis secerni sequitur. Quae cum ita sint, satis est duo statuisse asynartetorum genera: alterum episynthetorum, alterum ut breviter dicam intercisorum; ita ut hic τοῦ ῥυθμιζομένου continuitas interrumpatur syllabarum productione vel inanium temporum interiectione, illic ipsius metri mutatione. Propinquitas horum generum utpote in

*) Latens tempus (Quint. inst. or. IX, 4, 98) nullo modo statuere ne I. Caesar quidem poterit, qui (l. l. 1864 p. XIV) Westphalii de syncope sententiam reprobans συλλαβὴν ἐκτιθεμένην Heph. p. 102 idem esse contendit atque ἐκκειμένην, quibus verbis mathematici sumendi sive ponendi notionem designare soleant.

turbata tantum continuitate τοῦ ῥυθμιζομένου congruentium, admodum est longinqua et eodem nomine duas res tam dissimiles comprehendere num aptum fuerit, potest dubitari. Sed veterrimorum huius artis existimatorum et scriptorum haec videtur fuisse doctrina, id quod ea ipsa re demonstrari censeo, quod duplicem doctrinae rationem perverse interpretati et secuti posterioris aetatis metrici, qui versuum numeros oculis potius quam auribus percipere solebant, duas in partes a recta via aberraverunt. Nam aut καταλήξεως ratione abusi praeter primores versuum ordines clausulam quoque perpendendam putaverunt ordinum in fine collocatorum, aut a ratione episynthetorum profecti etiam in singulis pedibus discrimina statuerunt versuum προκαταλήκτως confectorum, ubi hoc non opus fuit. Nihil fuit negotii nisi simul considerare, num primores ordines catalectici essent et num singuli ordines constarent ex metris inter se diversis. Hoc si fecisset auctor Aristidis et Victorini, cuius manum p. 39 restituisse mihi videor, inutiles distinctiones clausulae totius versus aspernatus pro duobus illis priorum et posteriorum generum paribus facere non potuisset quin statueret duo tantum genera a nobis supra comprobata. Sed facili hoc negotio perfungi frustra studuerunt metrici posteriores iudicii simplicitate destituti: immo in utraque via alterius ad finem versus iusto longius progressi, cum aut clausulae omnium versus ordinum aut ambitus et numeri singulorum pedum rationem habendam ducerent, hoc nimio illustrandi studio doctrinam ante clarissimam obscuraverunt et ex facili reddiderunt difficillimam.

Apud Archilochum, ut spinosissima tandem relinquamus metricorum artificia, utriusque iam generis asynartetorum inveniuntur principia. Atque episynthetorum exempla sunt versus supra in epod. num. VII—IX descripti: elegiambus et iambelegus et heroum quod vocant ηὐξημένον sive περιττοσυλλαβές. Tertii huius versus nomina, quorum illud exstat in Plut. loco B', hoc apud Mar. Victor. p. 117 et p. 163, a metricis orta sunt „qui altius haec non perspexerunt" (Caes. Bass. p. 268). Hexametrum enim maiorem syllaba vocant versum sic factum esse rati:

At tuba terribilem sonitum dedit aere (sed) canoro.

Idem coniecit Salmasius in Plutarchi loco A' inesse, ubi pro verbis obscuris ἡ τοῦ ΠΡΩΤΟΥ αὔξησις Burettio et Liebelio de cretico dici visis, proposuit ΗΡΩΙΟΥ, quam lectionem paucis tantum lineolis mutatis ex codicis ductibus elici facile apparet. Quartum accedit metrum episynthetum fragm. 79 et sequ.:

'Ερασμονίδη Χαρίλαε, χρῆμά τοι γελοῖον,

in quo trochaico hemiolio sive ithyphallico praemittitur hephthemimeres anapaesticum ab iambo incipiens. V. Hephaest. p. 28, qui totum metri corpus pro uno versu tetrametro habet ideoque asynartetum esse vel hac re tacite testatur. Eadem ratione Ath. X 415 D: 'Α. δ' ἐν τετραμέτροις Χαρίλαν. . . διαβέβληκεν. Ceterum hoc idem est metrum, cui Ritschelius in op. I p. 283 nomen vindicat προςοδιακόν, de quo infra plura dicenda sunt.

Tum intercisorum asynartetorum (Heph. p. 53: ὁμοίως*) κατὰ τὴν πρώτην ἀντιπάθειαν), exemplum est ἐν τοῖς ἀναφερομένοις εἰς 'Αρχίλοχον 'Ιοβάκχοις (fr. 120):

Δήμητρος ἁγνῆς καὶ κόρης τὴν πανήγυριν σέβων,

⊥ – ⏑ – ⊥ – ⏑ ‥ ∧ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

quod metrum προκαταλήκτως ex dim. iamb. acat. et hephthemimeri troch. compositum est. Praeterea metrici latini Archilocho duo etiam tribuunt asynarteta: Mar. Vict. p. 142 trochaicum

Tollor in montes vagus entheus repente

– ⏑ – ⊥ – ⏑ ⏓ ∨ – ⏑ – ⏑ – ⏑

et Plotius p. 512 et 517 archilochium διπενθημιμερικόν velut

'Εν δὲ Βατουσιάδης, ἐν δὲ Βατουσιάδης.

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ‥ ∨ ‥ ⏑ ⏑ – ⏑⏑ –

Sed prius exemplum parum certum videtur, posterius nil est nisi pentameter versus, quem etiamsi singula membra semper binis dactylis et syllaba constare Plotino credamus, ab hexametro seiunctum vix cogitamus. Haec in aestimandis Archilochi asynartetis omittere praestat. Cetera ita composita sunt, ut singuli versuum ordines caesura semper distineantur atque etiam in fr. 115, quo Bentleium abusum esse supra diximus, syllaba anceps exhibeatur priorem ordinem concludens. Similiter apud Horatium, quem adhibere licet utpote qui in epodis „numeros animosque secutum Archilochi“ se ipse profiteatur ep. I, 19, 24, eiusmodi in metris caesuram ubique videmus esse eandem atque syllabam ancipitem in ep. 9 v. 6, 10, 26 et 13 v. 8, 10, 14 concessam sicut in ep. 11 v. 14 et 24 hiatum.

*) Hephaestionis ὁμοίως non est aptum, quoniam nullumdum eiusmodi exemplum prolatum est. Itaque Caesari in em. heph. II (sem. hib. 1869) p. VI illud verbum e § 21 false videtur huc translatum esse. Equidem hoc ὁμοίως ab Hephaestione ex copiosiore opere, ex quo ἐγχειρίδιον excerpsit, temere servatum censeo.

Quae cum ita sint, Boeckhius de metr. Pind. p. 86 „ex eiusmodi duobus conflatis non ordinibus; sed versibus" post Archilochi demum tempora dicit unum fieri versus corpus. Similiter Westphalius III p. 359 Archilocho tribuit non versus, sed strophas ἀσυναρτήτως fictas. Denique Bergk. quamquam in editione sua asynarteta uno versu scripta exhibet, tamen in nota ad fr. 115 potius duo cola separanda censet esse, quae metrici secuti recentiorum poetarum consuetudinem copulaverint; congruenter idem iam iudicavit in ind. schol. s. l. p. VII in nota ** designata; et separavit cola in nota ad Alcm. fr. 1 scripta. Christ. metr. § 144, 149, 590 parum sibi constat. Equidem nihilo setius illos versus asynartetos esse persuasum habeo, quos ipse quoque — sed gravibus causis non additis — statuit Od. Müllerus I p. 244 in adnotatione. Nam quod antiquissimis temporibus trinorum versuum strophas usitatas fuisse coniciunt, id credere nolim, quoniam alii de hac re alia statuere solent. Vide e. gr. de Hom. Ω 748—59 quantum inter se discrepent Christ. metr. § 592 et Peppmülleri enarratio ult. Il. libri nuper edita. Atque eodem iure, quo distichum elegiacum ex antiquissimis temporibus duobus scribitur versibus, quamquam alter est asynartetus, ceterae quoque strophae ad illius similitudinem confectae epodi habendae sunt. Et aperte Marius Vict. describens stropham fr. 103 (meis supra numeris IX) epodi nomine significavit Horatii illud: „Solvitur acris hiems." Quod quamquam nostrorum exemplarium ordine in carm. I, 4 exstat, tamen per se in epodis collocandum fuit et Cruquio teste in cod. Blandinio ad hanc rationem dispositum erat. Quid quod aliter ne potuisset quidem in carmina referri quaternorum, ut post Meinekii Lachmannique curas nunc constat, versuum strophis composita? Accedunt alia etiam ex ipsis Archilochi fragmentis indicia, quae si sola exstarent, vix valerent quicquam, sed cum iis quae iam protuli coniuncta meam de versibus asynartetis sententiam videntur probare. Ac primum quidem id tenendum puto, quod in primo fr. 103 versu, si ordines episynthetì disiungerentur, praepositio ὑπὸ a nomine suo καρδίην separaretur, quod ubicunque fieri potest vitandum putaverim (v. Christ. p. 148). Tum fragm. 114, cuius verbis

Πεντήκοντ' ἀνδρῶν λίπε Κοίρανον ἤπιος Ποσειδῶν

Meinekius et Bergkius statuerunt imitando exprimi incerti poetae versum ap. Aristot. Soph. El. c. 4 servatum:

Πεντήκοντ' ἀνδρῶν ἑκατὸν λίπε δῖος Ἀχιλλεύς,

similitudinem et allusionem eo clarius ostendit, si forma quoque adeo congruit, ut utroque loco unus exstet versus. Nec licet opinor hexametrum illum — ut putant ex certamine Homeri et Hesiodi sumptum — ita dividere, ut alter poeta extremis duobus verbis subsequatur praecedentia ab altero cantata. Talia enim artificia amoebaea, quibus in germanicis litteris fuerunt qui indulgerent, apud veteres non inveniuntur: Hesiodi quod fertur certamen similiterque alterna Theocriti et Vergilii carmina versibus ut aiunt parallelis composita sunt, non membris minutioribus scaenicorumque μέλη ἀμοιβαῖα aliam sequuntur rationem; vid. Christ. p. 635. Deinde etsi aliis in asynartetis brevis versus subsequi possit longiorem velut in epodis 1, 4, 6, tamen vix est credibile duos per se stare versiculos fr. 120 hosce:

Δήμητρος ἁγνῆς καὶ κόρης
Τὴν πανήγυριν σέβων.

An aliter fuisset, cur propria ratione haec cola recitanda esse veteres traderent? Immo Iobacchi aut ex versibus intercisis constiterunt κατὰ στίχον positis velut fr. 79—83 aut ex epodis, quarum alterius versus asynarteti forma servata est, alterius prorsus nos latet, quoniam ne rhythmi quidem genus utrum fuerit duplex an par, ex varietate apparet fontium voculam praebentium χρυσοέθειρ vel χρυσέθειρ vel ἔθειρ, quod est alterum ex Iobacchis fragm. (121) servatum. Denique meam sententiam confirmari puto loco Plutarchi B, quem adhuc tangere nolui, qui est Ἀ. προςεξεῦρε .. τὴν εἰς τοὺς οὐχ ὁμογενεῖς ῥυθμοὺς ἔντασιν. His verbis Liebelius epodos, Volkmannus asynarteta significari censuit. Westphalius rem potius inesse sibi visam quam ipsa auctoris verba interpretatus vertit: die verbindung nicht homogener rhythmen, ita ut epodos et asynarteta hoc loco comprehendisse videatur. Ego ipso hoc vocabulo, quod est ἔντασις, non σύνθεσις vel simile aliud, unum versuum asynartetorum corpus a Plutarchi auctore dictum existimo.

Haec hactenus de asynartetorum ratione et certis exemplis. Restat ut examinemus exempla minus perspicua, quae Plutarchus profert loco B′: ἥ τε τοῦ ἰαμβείου πρὸς τὸν ἐπιβατὸν παίωνα ἔντασις καὶ ἡ τοῦ ηὐξημένου ἡρῴου εἴς τε τὸν προςοδιακὸν καὶ τὸν κρητικὸν sive quod Ritschelius ad similitudinem loci A′ correxit: εἴς τε τὸ προςοδιακὸν καὶ τὸ κρητικόν. Talia nec in fragmentis nec in libris metricis inveniuntur et per se videntur parum pro-

babilia. Nam paeonem epibatum, quem ex Arist. Quint. de mus. 39 — cfr. Martian. Capell. de n. ph. p. 196 M. et Marii Vict. p. 49 — constare comperimus ἐκ μακρᾶς θέσεως καὶ μακρᾶς ἄρσεως καὶ δύο μακρῶν θέσεων καὶ μακρᾶς ἄρσεως, ita ut inversis more recentiorum nominibus (v. Christ. § 59) diagramma sit hoc:

— — ‿‿ — —
A T A T

ex Plutarchi capite 10, quamquam eius verba corrupta sunt, tamen ab Archilocho abiudicandum et Olympi tibicinio posteaque Thaletae tribuendum cognoscimus. Bergkius in ind. schol. s. l. paeonis memorationem inde repetit, quod auctor Plutarchi fallaci quadam specie inductus paeones deprehendisse sibi visus sit in metris alio genere compositis. Quam ob rem Archilocho tribuit, quos adhuc nemo ante Hipponactem statuit, versus claudos similiter fictos atque hic sit Euripidis (fragm. inc. 136) paululum mutatus:

Ἑῷὸς ἥνιχ' ἱππότας | ἐξέλαμψ' ἀστήρ.
— ‿ — — —

Sed quis coniecturam talem accipiat ipsam quoque choliambis archilocheis non repertis sed coniectis nixam?

Nec minus obscura est ἡ τοῦ ηὐξημένου ἡρῴου εἴς τε τὸ προσοδιακὸν καὶ τὸ κρητικὸν ἔντασις. Heroum auctum quid sit quaque probabilitate Plutarchi loco A' scribendum videatur, supra demonstravimus. Et τὸ προσοδιακὸν καὶ τὸ κρητικόν eodem loco A' Archilocho tribuitur. Nam quod libri illic habent προκριτικόν, id per errorem scribae irrepsisse verisimile est in scribendo illo κρητικόν de antecedente προ | σοδιακόν iterum cogitantis. Ritschelius in op. I p. 282 profectus a doctrina metricorum, qui tetrametrum trochaicum ita ortum putant, ut trimetro iambico praefigeretur creticus, velut praeter Mar. Vict. p. 135 et Ter. Maur. p. 393—395 testatur Rufinus p. 559:

Creticon Archilochus supra caput addit iambo,

adiutusque similitudine eorum, quae Diom. habet p. 478 G. de origine et nomine versus πρόβραχυς, perversum illud προκριτικόν mutari iussit in προκρητικόν. Quae mutatio ut staret, verba τὰ τετράμετρα, quae antecedunt de eadem re dicta, ferri non poterant; itaque aut omnino delenda aut in τὰ τρίμετρα, quod metrum hic desideratur, corrigenda censuit. Potuisset fortasse — quippe metricorum non rhythmicorum vestigia relegens — haec verba servare alia interpretatione difficultatem loci ita expediens, ut τὰ τετράμετρα considerato plurali no-

minis numero disiungeret in duo genera: τ. προκρητικά ex meris trochaeis et τ. προςοδιακά ex asynartetis composita; cfr. quae p. 44 memorata est Ritschelii de his versibus sententia. Sed ingenuosa coniectura illa omnino reprobanda est: non tam ea de causa, quam principem protulit Bergkius, quod ratione nitatur metricorum, quos Plutarchus sequi non soleat [certe nomen ἡρῷον ηὐξημένον ipsum quoque metricorum est inventum], quam quod προκρητικόν illud nusquam legitur alias. Nil aliud corrigendum videtur quam quod Burettius iam proposuit κρητικόν.

Qua autem ratione hunc Plutarchi locum explicandum putemus ea praesertim difficultate impeditum, quod idem auctor c. 10 aperte et rectius ut videtur (cfr. Strabo X p. 480) metrum creticum ab Archilocho abiudicat Olympoque et Thaletae tribuit? Bergkius (ib. p. VII) hoc κρητικόν ignotum adhuc nomen ex usu nonnullorum rhythmicorum indagavisse sibi visus interpretatur ithyphallicum, cuius nomen toto Plutarchi loco desideretur, similiterque προςοδιακόν non integrum versum asynartetum, quem statuit Ritschelius l. s. l., sed priorem tantum partem anapaesticam. Quibus rebus constitutis non sine aliqua veri similitudine de altera intentione Plutarchi locum B′ ex his fere perversum censet technographi auctoris verbis: καὶ τὸ ἡρῷον ηὔξησε καὶ τὸ προςοδιακὸν εἰς τὸ κρητικὸν ἐνέτεινε vel καὶ τὸ ἡρῷον ηὔξησεν εἰς τὸ κρητικὸν ἐντείνας. Et recte illam heroi aucti in prosodiacum et creticum intentionem una metri forma comprehendendam negat: tale enim monstrum Archilocho auctori elegantissimo quis imputare audeat? Nec minus recte prosodiaci nomen ordini vindicat anapaestico. Hoc enim probabilissimum fit, si quis veterum testimonia — omissis iis, quae nimis obscura praebent Dion. Hal. de comp. v. p. 48 et Aristid. Quint. I p. 39 — ex libris Heph. p. 28 et 48 sequ., Mar. Vict. p. 123, Plot. p. 545, schol. ad Aristoph. Av. 737 et Nub. 653 congesta integro iudicio comparat et perpendit. Quid quod ipse Ritschelius p. 284 prosodiaci nomen anapaestis primo inditum profitetur? Sed cretici nomine timeo ne audacius quam verius intellegatur ithyphallicum. Neque enim veteres usquam hoc confirmant aut significant et, quo nixus est Bergkius, grammatici locus in Keilii anal. p. 10 exscriptus, coniecturae illi plane videtur adversari. An fieri potuisse putas, ut post Aristoxenum auctorem in illa arte principem, qui ditrochaeum nominaverat creticum, alius quidam eodem cretici nomine abuteretur ad significandum ithyphallicum? Accedit quod inter ithyphallicum et

creticum qui vulgo dicitur rhythmum similitudo intercedit prorsus nulla. Itaque Bergkii interpretatio quamquam pluribus nominibus placet, tamen accipienda non videtur. Mihi eius vestigia secuto, sed difficultatibus obstantibus reiecto ratio in mentem occurrit Bergkianae contraria, qua toti Plutarchi loco B′ mederi posse mihi videor.

Aristoxenum ex loco Keilian. anal. s. l. (διτροχαῖος . . . τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ παράλληλον λέγουσιν, ἤγουν κρητικὸν κατὰ Ἀριστόξενον) creticum propria vi nuncupasse constat. Fecisse hoc eum probabile est eius doctrinae memorem, qua ἐνίοτε καὶ τὸ αὐτὸ γένος τὸ αὐτὸ μέγεθος ἀσύνθετόν τε καὶ σύνθετον ποιεῖ [, οὐ μέντοι ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ τοῦ συστήματος]. Vid. fragm. rhythm. in append. Marquard. edit. elem. harm. p. 412. Quae doctrina diligentissime videtur separanda esse ab iis, quae Arist. Quint. p. 34 M. habet: ἁπλοῖ μὲν γάρ εἰσιν (scil. τῶν ποδῶν) οἱ εἰς χρόνους διαιρούμενοι· σύνθετοι δὲ οἱ καὶ εἰς πόδας ἀναλυόμενοι. Secundum Aristoxeni sententiam in schol. Heph. eodem cretici nomine appellantur metra diversa: p. 171 Gaisf. amphimacer – ⏑ –,
p. 173 paeon secundus συμβλητός ⏑ – ⏑ ⏑,
ib. paeon quartus ὑπορχηματικός ⏑ ⏑ ⏑ –
atque etiam, de quo hic agitur, ditrochaeus – ⏑ – ⏑.
Ex quibus amphimacri est χρόνος ἀσύνθετος, ceterorum σύνθετος, qui efficitur, ἐὰν τὸ αὐτὸ μέγεθος ὑπὸ πλειόνων φθόγγων ἢ ξυλλαβῶν ἢ σημείων καταληφθῇ. Vid. fr. rhythm. Aristox. p. 411. Attamen alia est ratio paeonum cretici vicariorum, alia ditrochaei. Ibi enim nihil fit aliud quam longa syllaba in suas arses duas dissolvitur, hic rarior opus est mensura irrationalis diligenter secernenda ab solita trochaeorum ἀλογίᾳ (v. fr. rhythm. Aristox. p. 413, Arist. Qu. p. 39), quae arsi non mutata thesin ad mediam quandam inter unam et duas moras quantitatem auget. Nova ἀλογία hic statuenda est illa, quae alterum dipodiae trochaeum ad tempus minus trium morarum revocat perinde ac mensura irrationalis cyclicos efficit minus quattuor morarum dactylos (┬ ⏑ pro – ⏑ velut ┬ ⏑ ⏑ pro – ⏑ ⏑). Hac mensura constituta confusio creticorum et ditrochaeorum saepe inventa facilius intellegitur quam Heliodori doctrina ap. schol. Heph. p. 197 memorata, qua effici creticorum statuit ἑξασήμους τὰς βάσεις καὶ ἰσομερεῖς ὡς τὰς ἄλλας. Similiter Christ. metr. p. 421. Ceterum etiam ap. Aristiden Quint. p. 39 princeps ex pedibus sex mixtis est κρητικός, ὃς συνέστηκεν ἐκ τροχαίου θέσεως καὶ τροχαίου ἄρσεως.

Quodsi hac ratione ditrochaeus nominatur creticus, alii quoque ordines trochaici, quorum numeros a dipodiis i. e. ditrochaeis nomina trahere constat, eodem modo recitari potuerunt. Itaque duplex ditrochaeus sive tetrapodia troch., qui vulgo nominatur dimeter, facillime creticum (scil. metrum, non creticus sc. pes) mihi videtur nominari posse. Ithyphallici*) autem, qui vulgo dicitur dim. brachyc., si alter pes eadem ratione irrationalis factus ad duas corripitur moras, haec fere existit forma: – ◡ – ◡ – ◡, quam paeoni epibato supra sic descripto: – – – – – apparet esse simillimam nec prorsus alienam a ratione rhythmicorum, siquidem inverso singularum syllabarum ordine accuratissime respondet forma dochmii (◡ – – ◡ – contra – ◡ ◡ – – ◡). Tale metrum quamquam nominatum scio anticyprium (v. Christ. p. 72), tamen non prorsus absurdum puto paeoni cuidam nomen ei indere. Bergkius certe fieri potuisse contendit, ut Plutarchi auctor dimidium istum versum claudum ἐξέλαμψ' ἀστήρ eodem metro confectum pro paeone haberet.

A T A T

Iam si iure quodam hunc usum nominum cretici et ithyphallici metri rhythmicis veteribus tribuimus, Plutarchi loci difficultates ita expedire possumus, ut auctorem statuamus non solum technographi verba false in brevius contraxisse (sic iudicavit Bergkius), verum etiam obscura illa paeonis et cretici nomina temere transposuisse. Ipsa technographi manus haec fere scripsisse potuerat: Πρὸς δὲ τούτοις

1. ἥ τε τοῦ ἰαμβείου πρὸς τὸ κρητικὸν ἔντασις
2. καὶ ἡ τοῦ ἡρῴου } εἰς τὸν (ἐπιβατόν?) παίωνα,
3. καὶ τοῦ προςοδιακοῦ }

ita ut tria describeret potissima asynartetorum Archilochi exempla

1. metrum Iobacchorum fr. 120,
2. heroum quod dicitur auctum fr. 114 et saepius,
3. metr. fr. 79 et sequ. quae vocantur tetrametra.

Qua in conformatione id vitii certe inest, quod cretici et paeonis nominibus consentaneum est eos tantum significari ditrochaeos et ithyphallicos, qui per illam ἀλογίαν minuti ad genus paeonicum

---

*) Christii sententia, qua § 583 per τονήν paenultimae huius metri syllabae effici putavit catal. tetrapodiam, ita ut duae essent tetrapodiae, dact et troch., mihi non probatur. Aptissimum illud esset, si dactyli cyclica mensura trium fierent morarum; sed hoc statui nequit propter satis multos spondeos interpositos. V. fr. 114 et alia.

pertinent, Archilochi autem metris ista nomina eo minus indi possunt, quod ne inventum quidem aut usitatum tum fuisse videtur genus sescuplum. Item hic arsin irrationalem in duas breves syllabas dissolvi, id quod factum est in fr. 80, facile apparet non licere. Verum hae difficultates vitio vertendae videntur non tam ipsi Aristoxeno in hac fortasse re describenda parum cauto, quam Plutarcho sive eius auctori quippe recto Aristoxeni nomine falso per errorem et socordiam loco abutenti. Cuius abusus causam in ea re positam credideris, quod ut cretici ditrochaei spondeos aspernari dicebantur, ita archilocheorum asynartetorum partes alterae ex solis ubique fere trochaeis constare videbantur.

Haec mea emendatio si non videtur probabilior quam Bergkiana supra laudata, at non est difficilior. Atque ea accepta longius etiam progredi liceret ad emendandum locum A'. Hic enim, siquidem loco B' proferuntur exempla τῆς εἰς τοὺς οὐχ ὁμογενεῖς ῥυθμοὺς ἐντάσεως (B), facile apparet tractanda fuisse exempla novae rhythmopoeiae, de qua est locus A, excludenda autem exempla eius intentionis, quae proprio illustratur loco B'. Itaque iniuria loco A' inculcatum est, quod loco B' tractandum et — mea quidem sententia — tractatum fuit: heroum auctum. Verba ista loci A': καὶ ἡ τοῦ ἡρῴου sive πρώτου αὔξησις, perinde ac vocabulum ηὐξημένον ante ἡρῷον loco B' anticipatione quadam interpositum (nam ipsa demum illa extentione heroum augetur) perperam irrepserunt ex metrica quadam doctrina, quae a rhythmico Plutarchi auctore primario prorsus fuit aliena. Neque minus loco A' delenda videntur verba: τὸ προςοδιακὸν καὶ τὸ κρητικόν, quae eadem loco B' repetuntur, hic vix ferri possunt. Prosodiacum enim non invenitur nisi cum alio metro ad asynarteti formam consociatum; dimeter autem trochaicus (κρητικόν) quamquam in epodis (v. IV) proprium occupat versiculi locum, tamen hic post verba in universum dicta τὰ ἐπῳδά non magis fuit nominandus quam alii epodi, quorum mentio non est facta. Quod quoniam loco A' et B' nihil iam exstat, quod non sit exemplum aut novae metrorum synarteticorum epodorumque rhythmopoeiae (A) aut intentionis metrorum asynartetorum (B), totus Plutarchi de Archilocho locus ad perspicuitatem et — praeter ea quae forte excidisse possint exempla — auctoris exemplar revocari posse mihi videtur. Sed diutius in his Plutarchi tenebris morari iam nolo. Illustratio mea si ab aliis probatur, bene est; si minus, tamen fidei meae disputationis nihil detrahitur. Nam iis, quae de metris om-

nino supra dixi, satis demonstratum puto, quanta Archilochi fuerit in metris fingendis sollertia et ubertas.

Restat ut **DE RECITATIONE** disseram carminum archilocheorum. Qua in opera brevissimus esse iubeor testimoniorum paucitate et exiguitate. Nihil enim fere de hac re notum est quam quod Plutarchus praebet, cuius totum locum supra iam exscripsi p. 22.

Ac παρακαταλογή, quam Plutarchus Archilocho tribuit loco C, quid sit non iam opus est consulere sententias priorum interpretum, qui in omnes partes discesserunt neque tamen probabile quidquam protulerunt. Cognita nunc ratione Plutarchi loci, qua particulae A B C D pluribus infra illustrantur, dubitare non possumus, quin intellegendum sit, quod in lexico suo iam dudum suspicatus est Aen. Schneiderus qui vocatur Saxo, loci C' illud τῶν ἰαμβείων τὸ τὰ μὲν λέγεσθαι παρὰ τὴν κροῦσιν, τὰ δὲ ᾄδεσθαι. Cfr. praeterea Hesychii glossema nomine paulo alio contrariam rem significans: καταλογή· τὸ τὰ μὲν ᾄσματα μὴ ὑπὸ μέλει λέγειν. Iambos igitur (et tetrametros? vid. supra p. 28 et cfr. Xen. conv. VI, 3) A. ita recitare coepit, ut „verba partim caneret partim declamaret, fides autem tam cantum quam declamationem prosequeretur". Cfr. Bergk. ind. p. V et Christ. metr. p. 656. Hanc paracatalogen Ambrosius in hist. mus. I p. 245 ea de causa institutam censet, quod homo rixis et conviciis deditus cantilenae vix potens sit vel amans. Ego hanc causam extrinsecus et minus apte prolatam reicio: hac quoque recitatione A. mobilitatem et varietatem videtur affectavisse animi argumentique libertati et impetu convenientem.

Denique ἡ περὶ ταῦτα κροῦσις (D) facile intellegitur esse instrumentorum pulsatio his (novis metris) adaptata. Sed quae infra sequuntur loco D' verba hanc pulsationem explicantia: Οἴονται δὲ καὶ τὴν κροῦσιν τὴν ὑπὸ τὴν ᾠδὴν τοῦτον πρῶτον εὑρεῖν, τοὺς δ' ἀρχαίους πάντας (Westphalius πάντα) πρόςχορδα κρούειν, ea non item sunt perspicua. Volkmannus p. 119 collatis locis Aristot. probl. XIX, 39 et Plat. leg. VII p. 812 (fortasse etiam memor psalmorum illius „selah", de quo vid. Gesenii lex. hebr. p. 612) hanc κροῦσιν ὑπὸ τὴν ᾠδήν interpretatus est „cantum assarum tibiarum vel fidium per singula intervalla vocis cantui interpositarum, dum apud veteres suspenso cantu etiam instrumentorum pulsationes suspendebantur." Contra Westphalius p. 53 locum sic vertit: „Endlich glaubt man, dass A. zuerst die von der melodie abweichende be-

gleitung eingeführt hat, während die alten eine unisone begleitung hatten." Similiter exposuit eandem rem in harm. et melop. Graec. IIª p. 113, ubi illi ὑπὸ τὴν ᾠδὴν κρούσει opposita esse dicit verba πρόςχορδα κρούειν et προςαυλεῖν illiusque nomen conicit inde repetendum esse, quod instrumenti soni quamquam vocis sonis acutiores tamen sub musicis horum σημείοις, quas nos dicimus notas, propriis pulsationis notis Graeci significare consuerint. Hunc usum memoriae prodiderunt Alypius, introduct. mus. p. 2 Meib. et Gaudentius, harm. introduct. p. 23, cuius verba sunt: ἔθεσαν δὲ διπλᾶ καθ' ἕκαστον στίχον τὰ σημεῖα, ὧν τὸ μὲν ἄνω τὴν λέξιν ἀποσημαίνει, τὸ δὲ κάτω τὴν κροῦσιν. Causam quandam addit fragm. Bacchii a Meibomio in praef. (quarti quaternionis p. 1; continui numeri desunt) exscriptum hanc: διὰ γὰρ φωνῆς ἄνωθεν ἡ λέξις μόνης (leg. μόνη), τὰ δὲ τῆς κρούσεως κάτωθεν διὰ χειρῶν. Haec igitur haud ita longe absunt ad explicandam illam sub cantilenam pulsationem. Certa documenta ad confirmandam Westphalii interpretationem proferri nequeunt. Sed nescio an verba ὑπαυλεῖν (Alcm. fr. 78), ὑποκρέκειν (Pind. Ol. IX, 39), ὑποκρούειν (Aristoph. Plut. 548), quae aliter explicari solent (vid. e. gr. Dissen. ad loc. Pind.), hac ratione sint intellegenda. Cfr. Suid. et Hesych. de verbo ὑποκρούειν. Itaque Westphalio assentiri non dubito.

Eo certe haec sententia reici non potest, quod Graeci alium sonum voce alium instrumento edidisse non videantur. Hoc siquis negare etiam velit, eum refellit Plutarchi de mus. c. 19, ubi plures soni enumerantur in cantu vocis a musicis omissi iidemque instrumentis συμφώνως et διαφώνως ad cantum pulsati. Totum hunc locum, quem Volkmannus p. 109 se intellegere negat, exscribere et explicare nolo. Vid. quae — praeter hist. mus. p. 102 — Westphalius l. s. l. disputavit dilucide et recte, nisi quod errans semel intervalla διὰ πέντε et διὰ τεσσάρων nominavit pro intervallis δι' ἓξ et διὰ πέντε. Hoc adeo Burneio concedendum fuisse puto, qui de musica veterum (vertit librum 1781 Eschenburgius, laudavit Christ. metr. p. 646) disserens p. 169 sequ. plurium vocum concentum Graecis notum fuisse negat, sed antea p. 14 duplicem notarum seriem supra verba scribi solitam esse ipse tradit. An si instrumenti soni iidem fuissent atque vocis, opus fuisse credis binis notis?

Gravior profecto est Westphalii dissensio in eo posita, quod inventionem illius vocis et instrumentorum discrepantiae ab Archilocho

abiudicat, τρόπου σπονδειάζοντος sive σπονδειακοῦ, cuius exemplis Plutarchus utitur c. 19 s. l., auctorem esse ratus Terpandrum, quem ante Archilochum fuisse supra p. 26 iam diximus. Et recte illud, ut videtur. Nam illius tropi auctorem iudicare non Terpandrum, sed Olympum, id quod statuerunt Rossbach. I p. 48 et Volkmann. ad Plut. l. p. 107, vetamur duabus rationibus, et quod memoratur nete συνημμένων, quae instrumento editur post Olympum instructo, et quod verbis, quae sequuntur: Δῆλον δ' εἶναι καὶ ἐκ τῶν φρυγίων . . . ., Olympus musico antea dicto disertis verbis opponitur. Itaque eximiae Archilochi laudi aliquantulum hic videtur iure detrahi, id quod in tanta inventorum copia facile patimur. Usum vero illum voce et instrumento diversos edendi sonos non est cur ab eo abiudicemus.

His ita explicatis nobis constat Archilochum iambos partim ariarum, ut nos dicimus, partim melodramatum instar recitavisse itemque carmina ceteris metris confecta instrumentorum (etiam tibiarum? v. fr. 76 et 123) sonis prosecutum esse a sonis vocis diversis. Non omnes iambos per paracatalogen dictos nec omnia alia carmina altera recitationis ratione cantata esse facile intellegitur. Novis recitandi artibus num propria instrumenta adaptata fuerint, est dubitandum. Supersedit hac quaestione C. de Ian. in copiosa de fidibus Graecorum dissertatione Berol. 1859 edita. Westphal. in hist. mus. p. 136 sententiam confirmat Phyllidis Delii apud Ath. XIV 636 B servatam: ἐν οἷς τοὺς ἰάμβους ᾖδον, ἰαμβύκας ἐκάλουν· ἐν οἷς δὲ παρελογίζοντο (Bergkius mutandum coniecit παρεκαταλογίζοντο) τὰ ἐν τοῖς μέτροις, κλεψίαμβος. Et fuerunt, qui haec instrumenta ab ipso Archilocho inventa censerent; vid. de his voc. Hesych. et Phot. Itaque Westphalius in recitando eodem carmine iambico per cantilenam iambycen, per paracatalogen clepsiambum poetae putat usui fuisse. Mihi hoc quoniam subitam in recitatione vicissitudinem impedire videtur, minus est probabile. Immo quoniam clepsiambi, ut Hesychius s. h. v. prodit ex sententia Aristoxeni, nominantur μέλη τινὰ παρὰ 'Αλκμᾶνι, quae sine dubio ad Archilochi exempla quaedam ficta sunt, ampliorem clepsiambi usum velim statuere. Denique, ut hoc addam, Ambrosius in h. m. p. 247 — parum iterum naturae poesis archilocheae memor et gnarus — novorum instrumentorum usum inde repetit, quod A. cithara sacra uti noluerit. Si A. nova invenit et adhibuit instrumenta, id eadem sine dubio causa factum est, qua paracatalogen eum usurpavisse diximus: quod

musicae quoque genus ad poesis suae progressus accommodandum sibi duxit. Sed haec hactenus de iis Archilochi inventis, quae quarto et postremo loco proposueramus. Absoluta igitur de singulis poesis partibus disputatione sequitur, ut in fine dissertationis nonnulla quaedam addenda videantur de universa illius poesis vi et indole.

Quae in excolenda arte poetica A. novavit et profecit, haec praestitit eo potissimum consilio ductus, ut conveniret poesis cum rebus et rationibus suae aetatis et sui populi. Id ut efficeret, non tam aequales ad sublimitatem poesis evehere quam poesin ad usum cotidianae vitae revocare studuit. Quod studium testantur argumenta omnes vitae condiciones complexa, testantur ἀνθρώπων αἶνοι illi argumentis saepius inserti, testantur fabulae et voces et metra et musica artificia ut ab exemplis priscae poesis aliena ita ab ipso hominum usu exorta et recepta. Credibile est ab elegiis eum exorsum esse dignitatem et sollemnitatem priscorum poetarum quam maxime initio sectatum. Fr. 9 descriptionem tempestatis et naufragii Longinus de subl. 10 iisdem laudat nominibus quibus homericam (O 628): . . . τὰς ἐξοχάς, ὡς εἴποι τις, ἀριστίνδην ἐκκαθήραντές ἐπισυνέθηκαν, οὐδὲν φλοιῶδες ἢ ἄσεμνον ἢ σχολικὸν ἐγκατατάττοντες διὰ μέσου. Sed qua tum progressus sit ratione et celeritate, iam constitui non potest. Nec minus incertum est, quam celeriter tantam quanta post fruitur consecutus sit gratiam et auctoritatem. Auram enim popularem quamquam adeo non affectavit, ut aequales quoscunque dignos habebat — et hi multi sane erant! — acerbissimis peteret conviciis, tamen ea ipsa ut videtur re sibi conciliavit summisque honoribus si non vivus at mortuus fertur affectus esse. Vid. Aristot. rhet. II, 23, 11 aliosque in Liebel. comm. § VIII, c. Et posteri — exceptis vix Lacedaemoniis, quoniam Valerii Max. V, 3 narratiunculam illam de Archilocho eiusque carminibus Sparta prohibitis credere dubitamus — carmina eius diligenter lectitaverunt atque cum homericis in agonibus recitari iusserunt (vid. Ath. XIV 620 C et confer Diog. Laert. IX, 1), ita ut plerique omnes penitus ea perciperent et comprehenderent. Itaque in sermone iis utebantur homines Graeci, velut in Plut. vit. Per. c. 28 Pericles Elpinicen Cimonis sororem de republica Atheniensium perperam praecipientem verbis dicitur reiecisse Archilochi fr. 31. Multae ex iis sententiae vel voces singulares in proverbium abierunt, quo ex numero sunt fr. 20 τὰ Μαγνήτων κακά,

184 Μύκλος = κατωφερὴς εἰς γυναῖκας, 172 τὸ ἁπαλὸν κέρας, 89 ἀχνυμένη σκυτάλη, 74 delphini in montibus vagantes, fortasse etiam fr. 144 οὐδὲ Ἡρακλῆς πρὸς δύο et 78 Μυκονίων δίκην. Artifices res inde sumserunt sibi exprimendas, velut teste Pausania X, 31, 12 Polygnotus pictor, qui Tantalum effinxit, δῆλός ἐστιν ἐπακολουθήσας τῷ Ἀρχιλόχῳ (fr. 53). Philosophi et grammatici eum laudant ut intellegentem linguae auctorem velut, si recte interpretor argum. Soph. Oed. Tyr., Hippias et apud Ath. XI 505 E Gorgias, atque etiam proprios in Archilochum commentarios scripserunt, velut de scytala Apollonius Rhodius (Ath. X, 451 D) et Aristophanes Byzantinus (ib. III, 85 E) et de aliis rebus Aristarchus (Clem. Al. str. I p. 326) et alii (cfr. etym. Gud. 537, 26 de nomine tyranni: οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι Ἀρχιλόχου et 305, 3: ἐν ὑπομνήματι ἐπῳδῶν Ἀρχιλόχου). Similiter praeter musicorum omnino inventorum conspectum supra tractatum probabile puto scriptas fuisse singulas de metris A. disputationes, ex quibus latini metrici hausisse sua videntur. Cuius rei testis est si non Caesius Bassus p. 268 (.. „de Archilocho loquebar“), at Mar. Vict. p. 141 sequ. Is enim initio quarti libri de asynartetis disserturus omnia A. inventa recte comprehendit atque eodem fere, quo ego supra utendum duxi, ordine ita enumerat: primo in universum explicat metrorum principia, tum vocabulo „rursus“ pergens diversa per incisionem atque coniunctionem genera, deinde iterum a voce „rursus“ incipiens cola et commata metrorum diversi generis per coniunctionem aut per iniectionem composita, denique exemplum Archilochi auctoris ceteris vatibus proditum. Hanc igitur disquisitionem via et ratione confectam, quam Mar. Vict. nec dubitavit alieno loco proferre et instituere ipse vix potuit, ex doctrina nescio cuius antiquioris technographi prodiisse censeo. Quae cum ita sint, scriptores quoque graecos permulta Archilocho debere facile credideris. Et in exiguitate fragmentorum tamen non desunt loci, quibus posteros auctores Archilochi poesi nixos eiusque ope longius in omnes partes profectos esse doceamur.

Atque elegiaci poetae quid Archilocho debeant, iam non licet cognoscere. Attamen Theognin saepius eum imitatum esse vel spectavisse veri simile est; cfr. Th. v. 1029 ∞ fr. 66. Versu 533 = fr. 123 supersedere opus est, quoniam Bergkius ad h. l. totum forte distichum Archilochi esse docuit.

Ionici iambographi cum in vitia hominum severe consulentes tum in suos inimicos vehementissima ira ardentes Archilochum plu-

rimis nominibus imitati sunt. Simonides Amorginus trimetro iambico accepto utitur et in eo carmine, quod mulierum tamquam speculum est, fr. 7 ap. Bergk., bestiarum similitudines relegens a fabulis Archilochi haud procul abest atque etiam verba illius saepius videtur secutus esse, qua de re confer — praeter Sim. fr. 7,64 ∞ A. fr. 31 et similia — hos imprimis locos:

Arch. fr. 21: οὐ γάρ τι καλὺς . . οὐδ' ἐφίμερος οὐδ' ἐρατός et
Sim. fr. 7,51: οὔ τι καλὸν οὐδ' ἐπίμερον . . οὐδ' ἐρασμόν.

Archilocheam resipiunt iram odiumque fragmenta Hipponactis adversus inimicos sculptores Bupalum et Athenin exacerbati. Is trimetris et tetrametris usus est et utrumque hoc metrum quo vehementius violaret, nova etiam ratione effinxit in fine claudum, ita ut alteri asynartetorum generi quodammodo esset consimile: nam hic quoque interrupto τῷ ῥυθμιζομένῳ quominus recte versus procederet impeditum est.

Poetae melici quae sequerentur in poematis Archilochi habuerunt hymnodica convivialia amatoria. De rebus amatoriis Sapphus fr. 2, 11 et 43 cum archilocheis aliquatenus conveniunt fr. 102, 2 et 3. Praeterea ad verbum fere congruunt versus Anacreonteorum 7 cum Arch. fr. 25; sed de tempore eorum parum constat. Procedamus potius ad carminum formas. Sicut Thaletas, alterius musicae κατάστάσεως auctor princeps, secundum testimonium Glauci apud Plut. de m. c. 10 servatum Archilochi carmina (μέλη) imitatus est et in maius auxit, ita multi alii ea, quae in arte metrica ille novaverat, amplexi tria praestantissima eius inventa multifariam usurpaverunt et temperaverunt (Hor. ep. I, 19, 28). Novum rhythmum multos in modos converterunt et mutaverunt. Stropham disticham ad ambitum auxerunt quaternorum et plurium versuum effeceruntque, ut ad similitudinem versus epodi stropha etiam ἐπῳδός primarias subsequeretur alio metro et ambitu composita. Asynartetorum denique genus utrumque acceperunt et excoluerunt. Nam et plures paulatim syllabas rhythmica variatione omissas inanibus temporibus interpositis vel praecedente syllaba producta compensare perrexerunt et, postquam musici dactylorum invenerunt numeros cyclicorum, duo rhythmorum genera ab Archilocho in unum versum consociari coepta uno logaoedorum ordine comprehendere didicerunt et amaverunt. Singula huius artis exempla promere non est meum. Id addere iuvat in verbis quoque melicos Archilochum saepius videri esse secutos. Sapph. fr. 40 Ἔρος λυσιμελής utrum ex Hesiodi Theog. 120 an ex Archilochi carminibus (fr. 85) repetendus an neuter

locus poetriae animo sit obversatus, non potest diiudicari. Verum Pindarus praeter Callinicum Ol. IX, 1, de quo plura supra dicta sunt, ad Archilochum respicit — ut mihi est probabile — in Ol. VI, 154 (91) Ἠϋκόμων σκυτάλα Μουσῶν ∞ fr. 89, 2 et in Isthm. II, 38 et IV, 47 Πανέλληνες ∞ fr. 52 (v. Bergk., de rel. comoed. att. antiqu. p. 23).

Scriptores tragoediarum ipsum Archilochum secuti tetram. troch. et trim. iamb. in proprium receperunt usum diverbii, cui exculta post arte trimeter maxime inserviebat utpote μάλιστα λεκτικὸν τῶν μέτρων (Aristot. poet. 4; cfr. Cic. or. 57, 191 et Hor. a. p. 80 sequ.), tetrameter autem γοργότερος (Hermog. de id. II 1 p. 302) non erat usitatus nisi affectato grandiore dicendi genere. Vid. Eur. Phoen. 588 sequ. et saepius. Eosdem poetas paracataloga usos esse Plutarchus testatur loco C' idque videntur fecisse ad illustrandos cantus qui vocantur ἀπὸ σκηνῆς. Rossbachius et Westphalius III p. 184 diverbii ψιλὴν λέξιν ab hac recitandi ratione repetendam dixerunt, Luciani permoti loco de saltat. p. 27, ubi est: ... ἐνίοτε καὶ περιᾴδων τὰ ἰαμβεῖα. Sed hoc non esse dictum de paracataloga verum de vitio aliquo istius aetatis actorum in ind. saep. l. Bergkius demonstravit. Accedunt alia metra, quae non ex poesi ipsius Archilochi, sed ex melicorum imitationibus et variationibus in suum usum converterunt suisque inventionibus amplius mutaverunt poetae scaenici, ita ut omnium fere metrorum primordia Archilochus iis praeisse videatur.

Atque etiam sermonem Archilochi saepissime animis eorum obversatum esse non possumus negare. Aeschylus non modo singulas voces exhibet, quae fortuito possint congruere cum archilocheis (Prom. 5 λεωργός ∞ fr. 88; Sept. 392 μάχης ἐρῶν ∞ fr. 86; Pers. 763 Ἀσίδος μηλοτρόφου ∞ fr. 26, Suppl. 770 κυβερνήτῃ σοφῷ ∞ fr. 45), sed etiam integras sententias archilocheis simillimas, quas non possumus non tribuere ipsi imitationi. Quo nomine confer

Choeph. 123: .... τὸν ἐχθρὸν ἀνταμείβεσθαι κακοῖς,

cum A. fr. 65: τὸν κακῶς με δρῶντα δεινοῖς ἀνταμείβεσθαι κακοῖς,

Pers. 228: ταῦτα ... πάντα θήσομεν θεοῖσι

cum A. fr. 56: τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα, denique

Agam. 973: Ζεῦ Ζεῦ Τέλειε, τὰς ἐμὰς εὐχὰς τέλει
μέλοι δέ τοι σοὶ τῶνπερ ἂν μέλλῃς τελεῖν

cum A. fr. 27: Ἄναξ Ἄπολλον, .. ὄλλυ' ὥςπερ ὀλλύεις,

quo eodem niti apparet illos versus Agam. 1080:

Ἄπολλον . . | ἀγυιᾶτ' ἀπόλλων ἐμός·
ἀπώλεσας γὰρ οὐ μόλις τὸ δεύτερον.

Sophocles ut non dicam de Oed. Col. 1238 ∞ fr. 116, El. 96 ∞ fr. 7, Trach. de Herculis Deianirae Acheloi rebus ∞ fr. 147 aliisque, ad A. fr. 74: Χρημάτων ἄελπτον οὐδέν ἐστιν οὐδ' ἀπώμοτον respicit in Antig. 388: Ἄναξ, βροτοῖσιν οὐδὲν ἔστ' ἀπώμοτον, id quod sive in proverbium ille versus abiit sive proverbii loco hic tantum usurpatur, in ῥήσει ἀγγελικῇ custodis illius scurrili et populari sermone usi quam maxime notandum crediderim.

Euripides praeter singulas voces, velut Herc. fur. 581 Ἡρακλῆς ὁ καλλίνικος et Med. 708 ∞ A. fr. 26 καρτερεῖν = ἄρχειν, has fere sententias ab Archilocho vel eius imitatoribus mutuatus est:

Herc. fur. 643: μή μοι μήτ' Ἀσιήτιδος
τυραννίδος ὄλβος εἴη, cfr. A. fr. 26 et 25;

et Ion. 1510: μηδεὶς δοκείτω μηδὲν ἀνθρώπῳ ποτὲ
ἄελπτον εἶναι . . ., cfr. Arch. fr. 74 initium;

et in fragm. Phaethontis fab. ap. Macrob. Sat. I, 17 servato:

Ὦ χρυσοφεγγὲς ἥλι', ὡς ἀπώλεσας,
ὅθεν σ' Ἀπόλλων' ἐμφανῶς κλήσει βροτός, cfr. fr. 27.

Denique nescio an Euripides mulieribus ut saepius malediceret iambographorum adductus fuerit exemplis velut Orest. 258 satis similia sunt vocabula Archil. fr. 98.

Scriptores comoediarum similiter ac tragoediarum metra Archilochi acceperunt in usum diverbii trimetrum et tetrametrum, canticorum chori versus logaoedicos et eiusmodi alios a melicis et tragicis poetis effictos. De Aristophane cfr. Ter. Maur. p. 392. Praeterea in ea parabasis parte, quae cavillationum propria est et praecipua sedes, in epirrhemate et antepirrhemate, tetrametros usurpare soliti sunt ipsa illa archilochea vi et libertate confectos. Sed multo etiam magis in argumentis poetae comici sectati sunt Archilochum. Neque enim aliter Cratinas γυμνῇ τῇ κεφαλῇ ut aiunt in vitia aequalium invectus est; vid. Platonium, de diversit. inter princ. com. ant. X 10 ed. Dindorf. Idem Erasmoniden suum irrisit, Bathippum nomine, v. Heph. p. 50; atque adeo Archilochi suscepit partes, ut fabulam daret illius nomine inscriptam Ἀρχίλοχοι: talem enim chorum suarum sententiarum interpretem esse voluit. Eidem Bergkius iure videtur tribuisse versus sine dubio ad similitudinem archilochei de Leophilo fr. 69 expressos, quos Plut. in praec. rei publ. gerend. c. 15 servavit de Metiocho viro multorum munerum:

Μητίοχος μὲν γὰρ στρατηγεῖ, M. δὲ τὰς ὁδούς,
M. δ' ἄρτους ἐποπτᾷ, M. δὲ τ' ἄλφιτα,
M. δὲ πάντα ποιεῖ, M. δ' — οἰμώξεται.

Aristophanem in acribus quae de rebus publicis et privatis tulit iudiciis archilocheae παῤῥησίας exemplis usum esse non possumus non statuere, etiamsi loci quos nunc invenimus similes (Pac. v. 603 ≌ fr. 50, quo eodem antea iam Cratinus in „Pytina" abusus esse fertur; ib. 1298 sequ. ≌ fr. 6; Ach. 120 = fr. 91; Lys. 261 = fr. 98; ib. 1257 = fr. 139; Ran. 704 ∞ fr. 23; Pac. 1148 ∞ fr. 140) parodiam potius quam imitationem convincunt. Similiter poeta Archilochi versui illi: ὦ καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες

versum Avium 869: ὦ Σουνιέρακε, χαῖρ' ἄναξ πελαργικέ

consimilem fecit, quo loco et ridicule significat de Neptuno Suniarato pelagi domino (v. Kock. ad h. l. et ad Equ. v. 560) et hymni illius exordio abutitur satis noto. Haec habui dicere de poetis.

Pedestres scriptores denique quemadmodum Archilocho abusi sint, disertis verbis nihil est traditum. Sed si quid licet inde colligere, quod poetae carmina Archilochi saepissime aut tecte aut aperte significant ideoque omnibus fere Graecis non ignota fuisse testantur et quod Quintilianus Romanus doctissimus illa iuvenibus rhetoricae artis studiosis proposuit enixe lectitanda (vid. p. 19), graecos quoque oratores et historicos fructus ex illis percepisse contenderim haud exiguos.

Universas igitur graecas postea litteras (latinas etiam adiungere a proposito meo alienum est) Archilochus iis quae praestitit et novavit mirum quantum adiuvit et promovit. Et quamquam dolendum est argumentum defuisse exquisitum et tanto spiritu dignum, quo quasi studiorum centro poetae excellentes suas artes et cogitationes moderari discunt et angustioribus finibus circumsaepti penitus intrare solent — sic Bernhardyus II[a] p. 418 sequ. disserit de veteribus eius rei testimoniis, qualia congessit Liebel. in comm. § XVI —, tamen negare non possumus ipsa illa rerum varietate animorumque ut ita dicam dissolutione poetam in omnes partes delatum esse et in vias ad id tempus ignotas et quam maxime inter se discedentes. Et hac potissimum sollertia ingenii artiumque inventarum varietate et copia poetas antiquitatis superavit omnes, ita ut vere dignus videatur cum summis veterum laudibus tum nomine illo omnium honorificentissimo, quod p. 141 ei indidit Marius Victorinus admirator eius paene nimius, quod est „parens artis musicae".

Vita.

Natus sum Paulus Godowaldus Deuticke die 15. mensis Decembris anni 1848 Glaucha inferiore, qui vicus situs est in Deliciana regione Saxoniae Borussorum provinciae. Parentes sunt Christ. Godofredus D. et Christ. Rosina ex gente Kretzschmariana, quos adhuc vivos pia grataque mente colo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in ipsius patris schola imbutus sum politiorisque humanitatis initiis instructus a Boehmio pastore loci summopere mihi venerando. Vere anni 1863 gymnasium adii Torgovanum et per sex ibi annos eruditus sum institutione magistrorum doctissimorum atque optime de me meritorum, ex quibus praeter ceteros laudare me decet dir. Haackium et prof. Rothmannum.

Maturitatis testimonio praeditus ab ineunte semestri aestivo 1869 in universitate Halensi ad studium theologiae philosophiae philologiae incumbere coepi. Scholis usus Bernhardyi Keilii Zacheri Krameri Schlottmanni Erdmanni Ulricii Delbrückii Steinharti Tschischwitzii litteris post imprimis operam dedi graecis latinis theodiscis. Qua in opera egregie adiutus sum publicis privatisque universitatis auxiliis: seminarii philologici exercitationibus a Bernhardyo et Keilio temperatis per quinque, Zacherianae societati theodiscae per tria, Keilianae latinae per duo semestria interesse mihi licuit. Viris illustrissimis, qui benigne mihi facilem illuc aditum paraverunt potestatemque fecerunt longius in studiis proficiendi, gratias habeo maximas.

Ex autumno a. 1872 per annum privatarum ruri scholarum munere functus Halas redii ad examen pro fac. doc. subeundum. Quo feliciter superato mense Junio a. 1874 Torgovam me rettuli, ubi publicae scholae usum ac disciplinam expertus et postero anno in numerum ordinatorum gymnasii praeceptorum receptus sum. Inde devocatus postquam Octobri mense 1876 Berolinum transii, in gymnasio Humboldtiano nunc easdem magistri partes ago.

